NAZ.
le III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
B
19
NAPOLI

L
B
19

DE
VITAE GESTIS
VENERABILI DEI SERVI,
P. IOSEPHI
A MATRE DEI
ARAGONENSIS,

Mariani Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Inſtitutoris,

COMMENTARIOLVS.

AVCTORE.
D. FRANCISCO-MARIA MAGGIO
Cler. Regul. Panormitano.

NEAPOLI, Ex Typogr. Franciſci Benſi 1680.
Superiorum facultate.

NAPOLI
1648

Sanctiſſimæ Dei Matri
MARIÆ,
Ordinis Scholarum Piarum Patronæ,

Auctor cum hoc libellulo humillimè ſe D. et D.

O *Beatiſſima Deipara Maria Virgo, quæ vt toti ferè terrarum Orbi, ad Christianę Reipublicæ incrementum, hęc ſacra Scholarum Piarũ Congregatio exoriretur, Ioſephum Calaſanctium virum planè admirabilem impetraſti, & ipſa pluries impuliſti, vt aduerſantibus vndique infernis hoſtibus, Nouum hunc Ordinem in Dei Eccleſia perneceſſarium inſtitueret, à quo tot Puerorũ myriades & literis & Chriſtianis inſtitutis imbuerẽtur; publico omnium fidelium nomine tibi refero gratias, quòd fœliciter hodiè hic Ordo floreat, & omnium virtutum exemplis quaqua verſum Orbem Chriſtianum illuſtret; & quòd nouo etiam beneficio, Ioſephi eximiam ſanctitatem è Chriſtianæ Humilitatis modio in lucem feras. Ecce tibi hunc meum libellulum offero, & in libello me ipſum vt tuo ſub patrocinio tuearis. O mihi vtinam contingat, ex hac vita, tẽ auſpice atque præſente, cum Ioſephi ſecuritate lætitiaque migrare; & in tuis ò Virgo Beata ſanctiſſimis manibus, ac in filij tui dulciſſimi Ieſu vulneribus animam exhalare! Hoc vnum enixè peto, & nihil aliud curo, nihil exopto.*

ILLVSTRISSIMO D.

D. NICOLAO GASCON, ET ALTENAS,

Ordinis de Alcantara, à Conſilio Suæ Catholicę Maieſtatis, & Pręſidenti ſupremi Tribunalis Regiæ Cameræ Summariæ Regni Neapolitani.

P. D. Franciſcus-Maria Magius ex Clericis Regularibus, vir ingenij monumentis in lucem editis, literaria in Republica; ſatis notus, cùm noſtri Ordinis Conditoris Vitam Latinè ac candidè deſcripſiſſet; viſum eſt Noſtris, illam nunc primò typis excuſam, tuo Illuſtriſsimo Nomini nũcupare. Non ſolùm quòd dignitate, integritate animi, ac virtutum omnium fama, ſapientia, & Diuini quidem honoris zelo, Neapolitanã hanc Vrbem, & Regium Magiſtratum inſigniter decores & illuſtres; cùm ipſo vel in ore Virtutum omnium inſignia eximiè repræſentes: ſed quòd etiam Aragonenſis

cùm ſis, & ex Genere Nobiliſſimo, ac Prǫſtantiſſimo exortus, cum Ioſepho Calaſantio, Viro Dei, noſtri Ordinis inclyto Inſtitutore, quandam, vt ita dicam, vel ſanguinis, vel natalis ſoli ſaltem propinquitatem profitearis. Par eſt igitur, vt Ioſephus in hac lucubratione deſcriptus, non niſi ſub tuo ampliſſimo Patroçinio in lucē prodeat: maximè cùm vel ipſum Auctorē, sūma vt ſoles Religioſos viros humanitate, & inſigni beneuolentia proſequaris, ab eoq; vulgata opera grato ſemper oculo, nec ſine voluptate perlegeris. Quanquā enim exiguus eſt libellus, cùm tamen primus ſit, qui Noſtri Patris vitam perſtringat, non illum aſpernaberis; ſed libenter accipies, inſpicies, & euolues, quem publico noſtri Ordinis humillimè nomine tibi defero; vt patenter agnoſcas, quàm te feramus omnes in oculis, & tuo potiſſimū patrocinio gloriemur. Deus Optimus Maximus cui ex animo inſeruis, & Beata Deipara, quam quotidie flagranter honoras, vitæ tibi incolumitatem, ac cæleſtium donorum affuſionem adaugeat. Vale.

RE-

REVERENDISSIMO PATRI CAROLO IOANNI A IESV PRÆPOSITO GENERALI,

Ac reliquis omnibus Clericis Regularibus Matris Dei Scholarũ Piarum, ſtudioſiſſimè Auctor ſuum libellulum offert, & quammaximum Ordinis incremẽtum exoptat.

Reuerendiſſime ac Sapientiſſime Pater.

TIbi qui eruditione ac doctrina, & virtutum fulgore plurimùm præſtas: & prudenter ſapienterque vniuerſum Ordinem moderaris: ipſoque Magiſtratu quo præes, inſignes animi tui dotes, non ſine hominum laude ac beneficio oſtẽdis; exiguum hoc munuſculum trado: eodenque omnes Superiores & ſubditos veſtri Ordinis humillimè veneror & impertio. Oroque ne mihi quiſpiam veſtrum temeritatis notam inurat, quòd rudi quidẽ ſtylo & indiligenter veſtri inclyti Inſtitutoris, & huius ſeculi Herois, paucioribus quàm par eſſet, ampliſſimam vitæ ſeriem explicauerim. Veſtram ſiquidem mode-

ſtiam, diſciplinam, & ſanctitatem, adeò reuereor & admiror, vt dignos omni vos honoris ſignificatione ducā & prædicem: quippè qui inſigne quidem inſtitutum illud excolitis, Chriſtiana in Republica maximoperè adeò neceſſarium, vt quælibet Orbis pars, & Prouincia, quæ Chriſti tamen iugo colla ſubmiſit, parum ſibi, meo iudicio, conſulat ac proſpiciat, ſi veſtrum Ordinem nō inuitet, peramāterque ſuſcipiat, & omni ope ſtatim exhibita, non honorificè complectatur. Cùm pueri à vobis, ea præſertim ætate, qua omne vitiorum genus imbiberent, Dei timore, Chriſtiana doctrina, pijs moribus, ac ſanctiſſimis ſubindè legibus imbuantur, doceāturque præſertim inſtituere vitam, Deum colere, & Patronam ſibi Deiparam adoptare. Quocircà Admodùm Reu. P. Coſmam à Ieſu Maria olim Generalem, nunc Prouincialē Præpoſitum, ornatiſſimum virum teſtem appello, veſtri Ordinis dilatationē quàm ſtudioſè, pro mea exiguitate tamen incaſſum, aliquando in Sicilia procurauerim. Hodieque ſi mihi opportunitatem dari contingeret, veſtræ familiæ incremento,

cunctis animi neruis, ad Dei Optimi Maximi Gloriam,inſeruire non prætermitterem. Nam & veſtram in pueritia excolenda ſedulitatem, & admirabilem diſciplinam, afflictationemq; illam corporis eximiè arbitror,in Dei Eccleſia,commendãdam; qua & nuditate pedum, & ruditate veſtium, & lecti quidem aſperitate, inter tot Clericorum Regularium Ordines, ſic inſigniter emicatis, vt Reipublicæ Chriſtianę haud parum interſit,veſtrum exemplum,omnium quidem hominum,ac præſertim puerorum oculis obuerſari.Sed veſtram demiſſionem animi,quam Ioſephus vobis in morte legauit,& qua veluti diuite patrimonio magnoperè excellitis,abũdè Deus,meo iudicio,compenſabit;cùm, vt breui ſpero fore,continget,veſtri Ordinis Conditoris virtutes, & illuſtria facinora peruulgari:qui ea generis nobilitate, virginitate,innocentia,ſcientiarum eruditione, atque præſtantia cæleſtium donorũ inclaruit, vt inter ſeculi huius Heroes, & ſacrarum Religionum inſtitutores,non ſine Orbis plauſu, & omnium admiratione, eximio in loco ſit recenſendus. Quamob-

 rem

tem cùm veſtrum de eo ſilentium plenè ferre non poſſem,hũc breuiſſimum Commentariolum ſcripſi, edendum, ſi vobis placet,in lucem; vt veſtros animos & calamos ad eandem ſpartham nobiliùs agitandam impellerem.Nec enim in ampliſſimo veſtro Ordine deſunt, qui ſtyli peritia, & omni ſcientiarum genere inſtructi, veſtram illuſtrare Marianam Congregationem,ipſamque Rempublicam literariã queant. Vt noſtros itaque Scriptores ad ſancti Caietani geſta ſedulò perquirenda,& vitam deſcribendam incendit Benedictini Ordinis candidatus:qui cùm noſtri ſilerẽt;noſtri ſancti Patris effigiem, & laudem impreſſit;ita ſpero fore, vt quamplurimi Scriptores, & è veſtro quidem Ordine innumeri,libellulo hoc meo, ad idem opus exactiùs perfectiuſque præſtandum magnis ſtimulis excitentur.Quod tu præſertim,Reuerendiſſime Pater, qui ingenio & eloquentia vales, & ſapientia præſtas, præ omnibus facili negotio obire poſſes, niſi regendæ familiæ, & luſtrandi Ordinis cura, te ab hoc facinore reuocaret. Interim Vos Patres omnes animum meum,&

qua-

qualecunque ſtudium ac laborem æqui boniq; facite: & me ſenio & peccatis onuſtum, ac quamcitiſſimè deceſſurum, inter veſtri Ordinis famulos, ac alumnos humiliores adſcribite: veſtriſque apud Deum, & Dei Matrem, cui acceptiſſimi eſtis, orationibus aſſiduè commendate.

In-

Imprimendi Operis Facultas.

D. Placidus Vicecomes Clericorum Regularium Præpoſitus Generalis.

HOc Opus inſcriptum, De Vitę Geſtis V. P. Ioſephi à Matre Dei Aragonenſis &c. compoſitum à P. D. Fr. M. Màgio: & iuxtà aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem facimus. In quorum fidem præſentes literas manu propria ſubſcriptas, & ſolito noſtro ſigillo firmatas dedimus. Romæ 20. Auguſti 1677.

D. Placidus Vicecomes Pręp. Gen. Cler. Regul.

D. Caietanus Capyci us Minutulus Secr.

IVſſu Adm. R. P. Præpoſiti Generalis vidimus hanc Opellam à P. D. Fr. Maria Magio nitidiſſimè compoſitã & inſcriptã, De vitæ geſtis V. P. Ioſephi à Matre Dei, &c. & cùm plurimùm referat tãti Serui Dei miris ac meritis pios fideles ad virtutem, & perfectionem incendi; & nihil cõtineat, quod non laude & commendatione ſit dignum; typis dandam eſſe cenſemus &c.

D. Ioannes Damianus Viſit. Cl. Reg. S. T. P.

D. Ioſeph Morales Cl. R. S. T. P.

In Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo, Archiepiſcopo Neapolitano ſub die 9. Octobris 1677. fuit dictum quòd R.P. Ioſeph Mendozza Congregationis Piorum Operariorum reuideat, & in ſcriptis referat eidem Congregationi.

F.Scanegata Vic.Gen.

Ioſeph Imperialis Soc.Ieſu Theol.Emin.

EMINENTISS. PRINCEPS

IVſſu Eminentiæ Tuæ perlegi Commẽtariolum de vita Venerabilis Viri Ioſephi Calaſanctij Aragonenſis Mariani Ordinis Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum Inſtitutoris, Auctore R.D.Franciſco Maria Magio: nihilque in eo offendi fidei aut bonis moribus aduerſum, imò exemplaria multa ſingularum virtutum ac perfectionis Chriſtianæ documẽta. Quare dignum puto, vt quamprimùm typis mandetur. Neapoli die 20. Octobris 1679.

Addictiſſimus Seruus

D.Ioſeph Mendozza Congr. Piorum Operar.
Theol.ac ſancti Officij Conſultor.

In

In Congregatione habita coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiſcopo Neapolitano ſub 20. Nouembris fuit dictum, quod ſtante relatione retroſcripti Reuiſoris, Imprimatur.

Stephanus Menattus Vic. Gen.

Ieſeph Imperialis Soc. Ieſu Theol. Eminẽtiſſ.

Illuſtriſſimo, ed Eccellentiſſimo Sig.

NOuello de Bonis ſtampatore in queſta fedeliſſima Città di Napoli ſupplicando fà intendere à V. E. come deſidera ſtampare vn'Opera intitolata, *de Vita Geſtis V. P. Ioſephi à Matre Dei*, &c. compoſta dal P. D. Franceſco Maria Maggio C.R. Per tanto ſupplica l'E.S. reſti ſeruita ordinare gli ſian concedute le ſolite Regie licenze, che l'aurà a grazia, vt Deus, &c.

Magnificus V. I. D. Aemilius Antonius Gaudioſus videat; & in ſcriptis S. E. referat.

Ga-

Galeota Regens. Carrillo Regens.
Valero Regens. Calà Regens.
Soria Regens.

Prouiſum per S. E. Neap. die 28. menſis Iulij 1677.

Scoppa.

EXCELLENTISS. DOMINE.

VT ſedulò Excellentiæ Veſtræ nutui obtemperarem; R. P. D. Franciſci-Mariæ Magio C. R. Opuſculum *de Vita Venerabilis Patris Ioſephi à Matre Dei Cl. Reg. Scholarum Piarum inclyti Inſtitutoris* diligenter inſpexi, nec aliquid contra Regiam iuriſdictionem, aut non laude & cõmendatione dignum animaduerti: putoque, ſi ita V. Excellentiæ videatur, poſſe typis excudi, & veluti inſignium Virtutum exemplar, ad omnium documentum, quamcitiſſimè publicari. Neap. &c.

Excellentiæ V.

Humillimus & deditiſsimus ſeruus
Æmilius Antonius Gaudioſus.

Vi-

Viſa ſupradicta Relatione imprimatur: verùm in publicatione ſeruetur Regia pragmatica.

Galeota Regens. Carrillus Regens.
Valero Regens. Calà Regens.
Soria Regens.

Prouiſum per S.E. Neapoli die 3. menſis Auguſti 1677.

Scoppa.

PRO-

PROTESTATIO.

CVm ſanctiſs. D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij Anno 1625. in S Congregatione S.R.& Vniuerſalis Inquiſitionis decretũ ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij An. 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate ſeu martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quacunque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continẽtes, ſine recognitione atq; approbatione Ordinarij, et quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem ſanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia ſancti vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea quæ cadũt ſupra mores & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia R. ſed fides tantùm ſit penès Auctorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi & declarationi, obſeruantia, & reuerentia qua par eſt inſiſtendo, profiteor, me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolẽt, quæ humana dumtaxat auctoritate, nõ autem diuina Catholicæ R. Eccleſiæ aut S. Sedis Apoſtolicæ nituntur, ijs tantummodò exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Cathalogo adſcripſit.

AD

AD EFFIGIEM SERVI DEI

HEXASTICHON.

Non tibi ſola caput doctrinæ laurea cingit.
Exornant animum plurima ſerta tuum.
Lilia te decorant, olea, palmaque, triumphos
Namque agis à puero, & dæmonis vltor ouas.
Hæc tibi dona dedit Pia Mater, vt Ordinis eius
Proficui cunctis Auctor in Orbe fores.

Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum: & benedicta ſic ſemper ab omnibus B. Mariæ Virginis Puritas, & immaculata Conceptio. Et tibi, Domine Ieſu Chriſte, commendo, dono, & trado, per Eā, æternùm Cor & Animam meam.

DE

DE VITÆ GESTIS
VENERABILIS VIRI P. IOSEPHI A MATRE DEI ARAGONENSIS,
Mariani Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Inſtitutoris,

COMMENTARIOLVS.

IN Prouincia Aragonenſi, perantiquo in Oppido; quod vulgi ſermone, *Peralta de la Sal* nominatur; Nobilis Familia Calaſanctia floruit, apud Cathelaunos hodiè diues opum, & gloria militiæ illuſtris. Prodijt quidam Bertrandus ex ea; qui Iacobo Primo Aragoniæ Regi, cùm prædiues eſſet, & belli paciſque artibus inſtructus, domi foriſque, inſigni fidelitate ſeruiuit. Eidenque ad bellum

 con-

contra Cathelaunos proficiſcenti, cum ſeptuaginta baliſtarijs, quos ſuo aluit ſumptu, conſtantem adeò famulatum, & in pugnando ſtrenuum ardorem exhibuit; vt Rex nobilem eius Familiam exornauerit ampliſſimis Priuilegijs: indulſitque illi, vt exprimeret in Stemmate Gentilitio Canẽ, nummariam thecam ore ferentem: quod Calaſanctijs hodiè inſigne eſt; vti narrat Bernardinus Gomeſius *in lib. de vita, & rebus geſtis Iacobi Primi, Regis Aragoniæ Quarti, fol.* 80.

2 Bertrandi Nepos, D. Petrus Calaſanctius fuit: qui in matrimonium ducta D. Maria Caſtonia, æquè clari generis fœmina, quatuor ſuſcepit ex ea filias, filios tres: quorum natu minimus (de quo ſcribimus in præſentia) Ioſephus eſt appellatus; qui longè quidem illuſtrior, quàm cæteri fratres, & ſorores omnes, euaſit. Is vndecima die menſis Decembris, inter Conceptæ Virginis Deiparæ octauas, anno poſt Chriſtum natũ 1556. Paulo Quarto Romano Sanctiſſimoque Pontifice, in lucem editus, omnium virtutum in pri-

ma

ma planè ætate ſpecimen dedit. Tantoque puerulus amore exarſit in Deum, vt capitalem eius hoſtem, & omnis criminis inuentorem, audiens fuiſſe Diabolum, quem ferro occidi poſſe putabat; ad ſingulare illum certamen mirificè prouocauerit; omni conatu virium adoriri, ſuaque manu conficere, & vbi poſſet interimere, flagrantiſſimè geſtiens.

3 Itaque paſsim pueros, & ſodales, ad amandum percolẽdumque Diuinum Numen, & odio habendum inſectandumque malum Dæmonem, vehementèr adhortabatur. Cultroque haud ſemel arrepto, & in campum egreſſus, Diabolum perquirebat. Aderatque illi comes Ioſephus Moſchies; qui Abbas deindè Perpinianenſis id Romæ alijs, nec ſinè admiratione, referre ſolitus fuit: annoque 1649. vita deceſſit. Quin narrat, qui eius acta perſcripſit, quòd cùm tandem in agro Cacodæmonem aſpexiſſet, procera in arbore confidentem; in eum puer animorum plenus eo impetu ferri cœpit, vt arborem in illam aſcenderit. Sed qui timidos, & ignauos

exterret, illorumque animi præſentiam horret, qui Deum colunt; ſe ſe malus Dæmon illicò occuluit: effractoque prægrandis arboris ramo, Ioſephum vehementi adeò impulſione deiecit, ac terræ alliſit; vt fortaſsè B. Virginis beneficium fuerit, cui ſe ſe ille ſtudioſè dicauerit, quòd tenella eius membra minimè læderentur.

4 Grandiculus natu, literis animum appulit. Sed ita perſtudioſus orandi Numinis erat, vt antequam ludimagiſtri lectionem audiret, vel eidem repeteret, humi genua figeret, à Deo opem exoraturus. Quod cùm ſodales intuerentur; pro more Ioſephum, vt irriderent, *Sanctillum*, fauſto quidem omine, appellitabant. Iſque verè ille, ea in ætate, moribus fuit, vt inter omnes maximoperè eius virtus, & pietas emicaret. Nec vnum aliquod verbum inhoneſtum audire poterat, quin illicò pudore ſuffuſus, os ſibi vtraque manu planè contegeret, non ſine admiratione circumſtantium; indicans, quàm Dei timore, pudicitiæque ſtudio teneretur.

5 Poſt Grammatica rudimenta, Poeti-

ticen, & Rhetoricam didicit. Et cùm parentum ſtimulis adigi minimè potuiſſet, vt profano ſpiritu ductus, ad maiorum ſuorum gloriam promouendam, aut inſtaurãdam, armorum ſtudio eniteretur; clam ſua domo diſceſſit, vt grauioribus diſciplinis, & inſtitutioni præſertim vitæ ſpiritualis, totus incumberet.

6 In celeberrimis itaque Academijs, Philoſophiæ primùm Ilerdæ, mox Perpiniani, & Valentiæ, vtrique Iuri, ac demùm Compluti Sacrę Theologiæ operam egregiam dedit. Nec tamen ob curam literarum, virtutum vnquam, præſertim orationis, tuendæque virginitatis propoſitum, aut Sacramentorum frequentiam intermiſit; vel in Dei Deiparæque amore quicquam intepuit. Tantaque eruditione, integritatis opinione, & authoritate, inter ſodales effloreſcebat, vt omniũ Princeps, communi conſenſu plauſuq; delectus fuerit. Quod ipſe munus, non ſine magno honore collatum, tàm mirificè præſtitit, vt Matthæus Garſias, qui eius condiſcipulus fuit, in hæc verba iure iurarit: Calaſan-

ctium, omnium Principem renunciatum fuiſſe, quòd & doctrina præſtaret, & in omnium propè Aragonenſium oculis eſſet: tantaque dexteritate, & ſuauitate ſermonis excelluiſſe, vt plurimùm in ſcholarium diſſidentium animis ad concordiam reuocandis, extinguendis odijs,& in pace conſtabilienda valeret. Et addit, id ſe ſe pluries in ſe ipſo, qui ſanè viuacior, ac feruidior ingenio, perſæpè rixabatur, adeò expertum eſſe, vt ſuum Angelum Calaſanctium appellaret. Nec ſanè paucos iuuit monitis,& doctrinis. Eadenque oris hilaritate, & admirabili induſtria, è vitiorum cœno permultos ad ſemitã pietatis eduxit.

7 Cùm ergo vtriuſque iuris, & ſacræ Theologiæ laurea de more donatus, Doctoribus, ſeù Magiſtris adſcriptus eſſet: D.Ioannes Gaſpar de Figuera, Balbaſtrẽſis Epiſcopus, cuius olim inſignes, ſapientiſſimique diſcipuli, in Salmaticenſi Academia, Bannes,& Medina fuere, eum apud ſe habere ſtuduit: cuius in contubernio, & aula, Ioſephus ab omnibus in honore habitus, plurimùm emicabat.

8 Dein-

8 Deindè nobilis cuiuſdã Matronæ domũ migrauit; vt illi à ſecretis eſſet. Vbi liberalitèr ac ſplendidè acceptus, & continuò muneribus auctus, atque ab omnibus habitus in honore, amplis ædibus, re familiari, & cunctis vitæ commodis abundabat. Sed Dæmon, quem ad certamen à prima pueritia prouocauerat, cùm contechnari, & inſidias illi moliri, ac tendere non deſiſteret; Matronam illam adeò incendit; vt eius indole, modeſtia, & liberali ſpecie capta, væſanique amoris impatiens, accerſitum Ioſephum, omnia alia cogitãtem, & qui virginitatem ſuam Deo atque Deiparæ ferè quotidiè commendabat, ſecretum in cubiculũ duxerit; vt clam remotis arbitris, turpiter inſignem eius pudicitiam expugnaret. Sed ſtrenuus Dei pugil ſcortum eluſit. Nam virtute ſolertiaque præſentiſſima præditus, ne dum domo illa, ſed & Vrbe illicò excedens, in Patriam poſtliminio redijt; ſpretis nimirum lucris, donis, ac commodis, vt animi integritatem, puritatemque, in tuto reponeret. Quod ipſemet capularis ſenex, ali-

quot ex ſuis ſecretò narrauit, vehementer eos adhortatus, vt à cuiuſuis labis, & noxę ſemper occaſione, ſine cunctatione, proriperentur.

9 Hìc cùm de more corporis afflictationibus pietatisque ſe ſe paſsìm operibus exerceret; vt pauperum inopiæ conſulere poſſet; Montem erexit, quem frumentarium appellabant: eò quòd vnicuique egeno quotannis aliquid annonæ ſubminiſtraret; ſancti illius Ioſeph venditi, ac deportati in Aegyptum, ne dum caſtimoniam, ſed & prudentiam, ac planè prouidentiam imitatus. Eos verò, quos pane alere ſolitus erat, etiam fidei rudimentis, ac pijs ſubindè monitis feruentiùs inſtruebat. Vtque puellarum periclitantium pudori proſpiceret; Societatem inſtituit fundauitque, vt aliquot quotannis dotes exolueret, ac plures nuptui traderentur. Quam à Rectore iuſſit adminiſtrari, & ab Vrgelleſi quoque anno Vicario recognoſci. Sed tamen oneri, in tanta laborum contentione, & corporis maceratione, planè ſuccubuit, contraxitque grauiſſimam ęgritudi-

tudinem: ex qua,cùm Deo pollicitus eſſet, ſe ſe ſacris initiandum; poſt voti nuncupationem, conualuit.

10 Itaque anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto,dieq; Dominica decimaſeptima menſis Aprilis, decem & nouem annos natus, à Ioanne Dyma Kozuis, Epiſcopo Vrgellenſi, Clericali olim militiæ adſcriptus;à Petro Frago Oſcenſi Antiſtite, decimaſeptima die menſis Decembris anni milleſimi quingẽteſimi octogeſimi ſecundi, quatuor Minores Ordines, & poſtridiè Subdiaconatum ſuſcepit. Inſequenti verò anno, nona die menſis Aprilis, à Gaſpare Ioanne de la Figuera, Epiſcopo Iauenſi, ſacris Euangelicis, dieque decimaſeptima menſis Decembris, ab Ambroſio de Moncada Epiſcopo Vrgellenſi, eſt Sacerdotio initiatus. In quo quidem gradu exemplar ferè omnium virtutum euaſit; adeòque eius virtus omnium oculis elucebat, vt eum ſibi Ilerdenſis Antiſtes Theologum, Confeſſariũ, Secretarium, & publicum Examinatorem adſciuerit. Quin à Rege Catholico Epiſco-

ſcopus in Montem Serratum miſſus, vt ſibi delatam viſitationem obiret; onus præſertim illud in Ioſephi iudicio prudentiaque repoſuit: qui cùm omnia ſedulus inſpexiſſet; ſua præſertim eruditione, dexteritate, ac prudentia, graues aliquot controuerſias, & diſſidia ſuſtulit, è Caſtellanis, & Cathelaunis; quæ haud parum moleſtiæ ſacro illi Cenobio pariebant. Sex verò menſibus elapſis, Antiſtite vita functo, Calaſanctius iterum in Patriam redijt: vbi effœto ſenio parenti, extrema in ægritudine, quæ illi vitam ademit, mirificè ſolamen, & opem contulit.

11 Deindè ab Vrgellæ Antiſtite animarum curæ præfectus, multisque exagitatus precibus, vt annueret; onus tandem illud ſuſcepit. Cumque per Pyrenæos Mõtes demandatæ ſibi Diœceſis inſpectionẽ obiret, & iugiter morum emendationi, vitiorumque extirpationi totus incumberet; flagitioſi aliquot, quos ipſe correxerat, vltionis cauſa in eum conſpirabant: ſed ab eius virtute diuinitùs emolliti, humillimè omnes ab eo veniam exorarunt.

12 Cùm

12 Cùm ſe ſe tamen fortaſſis indè proripere voluiſſet; Ilerdæ Epiſcopus, qui eius diù famam audiuerat; Ioſephum cunctarum Vrbium & Oppidorum illorum Iudicem in cunctis ciuilibus capitalibuſq; cauſis inſtituit. Nec labori pepercit: ſed ſpretis interceſſoribus, muneribuſque reiectis, cunctis animi neruis nauabat operam, vt latis iurè ſententijs, abuſus euellerentur, ac vitia & flagitia ab omnibus exularent. Quæ verò interim eius demiſſio animi, & charitas eſſet, ex eo intelligere poſſumus, quod cuidam ruſtico accidit, cùm ipſe illic iter haberet. Onuſtus huic aſellus cœnoſum in lacum decidit: & cùm extrahere illum ſenex indè non poſſet; Ioſephus famulo annuit, vt miſero illi opem afferret. Cùmque ambo, nec iunctis viribus eripiendo aſello ex luto ſufficerent; Ioſephus equo deſiliens, talarem tunicam exuit: miroque robore, quo prædictus erat, cum ocreis in lacunam ingreſſus, ita humeros corpore deflexo ſuppoſuit, vt non ſine omnium admiratione, qui aderant, clitellarium aſellum extraxerit,

rit. Quod diſertè ipſemet aliquandò narrauit, collatam ſibi corporis valetudinem, & laterum ac virium firmitatem affirmans, vt quoties opus eſſet, in aliorum beneficium, & vtilitatem, libens impenderet.

13 Sed Vrgellæ Epiſcopus iterum Calaſanctium poſtulauit, inſtituitque Generalem Vicarium: vigetq; ad hanc vſque diem in ea Diœceſi eius virtutum fama, & præclarè geſtorum laus. Flagranter enim incubuit ſubleuandis miſeris, improbis in viam Domini reducendis; & vt Dei cultus, & decor, vbique in aris, in templis, & in Clero ſplendeſceret. Cùm verò Barcinone, puella nobili ac nubili rapta, magnum rixæ diſcrimen obortum eſſet: & proceres hinc indè ferro, & igne muniti, ad ineundum ſæuiſſimum certamen ſe prępararent; aliquot viri graues, vt Patriæ excidium anteuerterent, ad Vrgellæ Epiſcopi opem quamcelerrimè cõfugerunt: qui Ioſephum pacis reconciliatorem eximium illicò deſtinauit: cuius admirabili dexteritate, ac facundia factum

fuit,

fuit, vt omnes arma deponerent; & adoleſcentula reddita, ritè nuptiæ, cum omniũ lætitia, & pace, conficerentur.

14 Intereà magno impetu impulſuq; euocari ſe Romam cælitùs ſentiebat; ac ſibi continuò videbatur, hanc diuinam vocem intimè audire: *Age Ioſephe, Romam contendas*. Sed cùm cauſam non intelligeret; veritus ne malus ſibi Dæmon illuderet; Cur in Vrbem pergam, aiebat; cùm nullos expiſcari gradus, & dignitates exoptem? Vox tamen, quam identidem audiebat, ita medullas animi perculit, vt parere illi neceſſum fuerit. Quamobrem ſextum ſupra trigeſimum annum natus, Romam conceſſit, anno ſalutis 1592. Romano Pontifice Sixto V.

15 Vrbem ingreſſus, ſe ſe Deo primùm, Beatæq; Deiparæ, eius Sponſo Diuo Ioſepho, Diuo Gregorio Magno, atque Tutelari præſertìm Angelo, quotidiè ſtudioſè commendans; ſeptem Vrbis Eccleſias, Xenodochia, & carceres inuiſebat. Cumque ſæpè diſcuteret, quid à ſe Diuinum Numen in Vrbe vellet; multitudinẽ

pue-

puerorum offendit, iacientium funda lapides, huc illucque cum mille indecoris actibus, verbiſque inhoneſtis, temerè concurſantium. Cùm ſibi ab illa eadem voce dictum audiuit: *Vide, vide, Ioſephe*. Et tunc illi primùm cogitatio, dubitatioque ſubrepit, num à ſe vellet Deus bonis forſitaſſe moribus pueros erudiri: quos vidiſſe, non nemo addit, per ſomnium ad ſe caternuatim accurrere, vt Dei amore, ac timore, fideique rudimentis, imbuerentur.

16 Accidit aliquandò, vt mulier à malo Dæmone obſeſſa, in ſacra S. Praxedi æde, ad Chriſti Domini columnam, à multis trahi omninò non poſſet: quod vt Ioſephus animaduertit; facto gradu ad illam acceſſit: & duobus ſolùm manus dexteræ digitis, quibus exiguo ante, in S. Mariæ Maioris, ſacram Hoſtiam in ara tetigerat, prehenſa illius manu, non ampliùs reluctantem fœminam, in ædiculam ad ſacram illam columnam, veluti ouem mitiſſimam introduxit. Quod cùm ab ipſo, longo poſt tempore, nonnemo percunctaretur, an verum eſſet; annuens Ioſephus;

An

An neſcis, inquit, quanta inſit vis, & facultas, his duobus digitis, indici, & pollici, Sacerdotis?

17 Sua ipſe ſingillatim exercitia ex ordine diſtribuerat: ſaluti tamen animorum cùm diligenter incumberet, omni occaſione, vel hora, qua opem alicui ferre poſſet, protinùs accurrebat. Vt verò paulatim eximia eius virtus inclaruit; Marcus Antonius Cardinalis Columnius, domi ſuæ, tantum hoſpitem excipere voluit: quem & Theologum ſuum renuntiauit, & totius familiæ Confeſſarium, Ducemque omnium ſpiritualem, & Directorem: iuſſitque, vt vel ipſe Princeps Columnius Nepos ſuus, ſine eius venia, domo nunquam egrederetur. Iamque illum Aulici omnes *Patrem* appellitabant, ſummoque honore reuerebantur. Aedes verò illi aſſignauit, ſanctorum Apoſtolorum templo contiguas: vnde non ſine ingenti animi ſui voluptate, poſt ſeptem Eccleſiarum viſitationem, quam vel diu vel noctu quotidie obire ſolitus erat, horis penè ſingulis adorabat. Cùm verò interim Patrum

Mi-

Minorum Conuentualium conſuetudine frequentiùs vteretur; duos Religioſos iuuenes in peryſtilio conſpicatus, qui ſe ſe inuicem ludentes inſequebantur; quorum vnum Ioannem Baptiſtam Larinium, Bagnacauallum alterum appellabant; ſeriò Ioſephus illos admonuit, nugis vt abſtinerent: nam ſi literis & inſtitutioni morum incubuiſſent, vterque ipſorum columen Seraphicæ illius Religionis euaderet. Dictoque adfuit fides: nam hic quidem ſupremam Præfecturam obtinuit; tùm ſtrenuè laborauit, vt cunctum Ordinem ad ſtrictiorem obſeruantiam reuocaret. Ille verò ſemel Ordinis ſocius, & bis Miniſter Generalis euaſit. Hanc verò prænotionē narrauit F. Bonauentura Clauerius, Potentiæ mox Antiſtes, qui eodem tunc in Collegio illos ſacras ſcientias edocebat.

18 Interim ſe ad Coſmę Vannucij Sacerdotis amicitiam aggregauit; illum intuitus fidei rudimenta aſſiduè ſtudioseq; pauperes ruſticos edocentem: quod ipſe ſtatim munus obire cœpit etiam in plateis. Huiuſmodi quippè homines ſæpe nu-

numero congregans, peramãterque complectens, ad vicinũ templum aliquod deducebat: vbi angulum nactus, Chriſtianam Catecheſim explicare, & rudes imbuere ſtudioſiſſimè conabatur. Quamobrem Doctrinę Chriſtianæ exponendæ ſodalitas tunc quędam in Vrbe inſtituta fuit: cuius haud ſemel Ioſephus, multorũ rogatu, Præfectum egit. Cùmque progreſſu temporis adaucta, & aliò deducta ac propagata fuiſſet; Ioſephus ab Alexãdro Cardinali Mediceo Patrono, qui dein ad Pontificatum euectus Leo eſt XI. appellatus; illius Viſitator Generalis adſcitus fuit: quod tamen onus, ſine ſpecioſo illo nomine, obire voluit.

19 Alias item ſodalitates adiuuit, tũc temporis inſtitutas: quales præſertim fuere Archiconfraternitas Stigmatum Diui Franciſci, Sodalitas Refugij, vt vocant, & Societas ſanctorum Apoſtolorum, quę ægros inopes inuiſere ſolet, & ijs eleemoſynas elargiri. Qua occaſione Ioſephus cùm pueros innumeros inſpexiſſet, ob parentum inopiam, torpere ocio, vitia

imbibere, & neceſſaria inſtitutione carere: nec eſſe ſcholas in Vrbe, quæ primam puerorum pauperum ætatem inſtrueret; vellicari ſibi animum adeò ſentiebat, vt quietem captare penè non poſſet. Quocircà, fruſtra ſępiùs in Capitolio cum Senatoribus egit, vt aucto ſtipendio, Regionum Ludimagiſtri onus illud promptè ſubirent. Nec Cardinalis Columnij auctoritas quicquam iuuit, vt id ab Religioſis hominibus impetraret. Sed dum æſtuaret his deſiderijs, nouiſque quotidiè ſtimulis angeretur; ipſe inter orandum audiuit: *Tibi derelictus eſt pauper: Orphano tu eris adiutor*. Curaret itaque quicquid ipſe poſſet viribus ſuis: nam Dei præſentiſſimam ſubindè opem experiretur.

20 Nec puto tacendum eſſe, olitorē & puellam nomine Victoriam membris penè omnibus captam, acutiſſimos Ioſepho etiam ſtimulos addidiſſe, ac fuiſſe illi Magiſtros, vt relicto quem vſurpauerat, orandi modum deinceps nouum arriperet. Quippè quòd ille ruri, colendiſque agris addictus, mentali ſic oratio-

ni

ni actutùm vacabat, vt ad eam inſigniter omnes adhortaretur. Sed hæc vili in tugurio, lecto ſtramentitio affixa, Deo ſic inhærebat, vt Franciſcæ illi Seidì Theatinæ Platienſi ſimillima, de qua alibi loquor, quotidie mane, exceſſu quodam mentis abrepta, ad viſitandas Vrbis Eccleſias mirificè deferretur. Et primùm in S.Petri Baſilica Fidei Profeſſionē emittens, diuina alibi myſteria deuotè percipere ſolita erat. Sed interdiù cùm ad ſe redijſſet, Chriſtianæ Fidei rudimenta viciniæ puellulas edocebat.

21 Conſuetudinem etiam inijt tunc Ioſephus, & familiariter egit cum Camillo de Lellis, Patrum miniſtrantium infirmis inſtitutore, viro inclyto meritis & virtutibus, ac fama ſanctitudinis celeberrimo. Et quòd magna vis hominum Romam venerat, vt ſerici artem profiteretur, penè omnes, ob aeris fortaſsè calores, ſic ægrotarunt; vt ob ſuſpicionem contagij miſerè deſtituti decumberent. Quibus tamen ita Ioſephus, & Camillus, coniunctis viribus adfuere, vt quotidie ad eos refi-

ciendos iuuandoſque cum onuſtis iumentis ſe ſe conferrent.

22 Præcipuè tamen puerorum erudiẽdorum neceſſitas Ioſephi animum vlcerabat. Quocirca multis ante ſtimulis, vti diximùs, adactus & incitatus, nihil prætermiſit, quod ad opus ritè ineundũ moliendumque conduceret. Et primùm, accepta ab illis ſuperioribus poteſtate, quorum intererat, duos, ſoluto ſtipendio, idoneos Sacerdotes inuenit: duoque ab illo, cui S. Dorotheæ trans tiberim Eccleſia curæ erat (vnde noſter ipſe Ordo duxit originem) percommoda cubicula obtinuit: in quibus has Pias puerorum Scholas erexit, anno 1597. Clemente VIII. Summo Pontifice, præſcriptis ab ſe regulis ac exercitationibus inſtitutis; quibus omni diligentia, & vigilantia, ſemper aderat. Nam ipſe interdum ſcholas inuiſere, pueroſque inſtruere, & Magiſtros ipſos priuatim erudire ſolitus erat. Scholas verò mane ac veſperi verriculo perpurgabat. Cuius inſtitutionis fama cùm tota Vrbe diuulgaretur, breui numerus con-

fluen-

fluentium puerorum excreuit; quibus ex-cipiendis duo alia cubicula vicina conduxit. Sed demùm, ob multitudinem puerorum è longinquo accurrentium, tranſferri ſcholas oportuit intra Vrbem, opportuniorem in locum. Nec ſolùm fidei & grammaticæ rudimenta, ſed & arithmeticam pueri edocebantur. Impertiebatque Ioſephus pueris egenis libellos, atramentarium, calamum, & papyrum, ac pueris abecedarijs tabulas. Qui quidem fuit perpetuus eius mos, quoad ipſe Cõgregationem adminiſtrauit. Præparabatq; ſedulò pro Magiſtris aliquando dictata, calculandi rationes, & exemplaria: nec noctu à viſitandis interdum Eccleſijs abſtinebat.

23 Bellè opus cùm proceſſiſſet, iniquiſſimus humani generis hoſtis tanta exarſit inuidia, vt cùm tintinnabulum affixurus, in ſummam Ioſephus contignationem ædium conſcendiſſet; illum de tegulis ad ima vehementi impulſione deiecerit. Tùm qui ex aduerſo in feneſtris aderant, atra Ioſephum, antequàm rueret,

 in-

inuolutum caligine cōſpexerunt. Effractò igitur crure, acutiſque doloribus toto penè corpore affectus, ac vitę expes, lecto decubuit. Tunc illum venerandus Sacerdos Gaſpar Dragonettus, Canonicus Leontinenſis inuiſit; qui moribus grauis, ac Latinæ linguæ benè peritus, iuuenes aliquot contubernales inſtituebat. Tantaq; erat eius virtus & eruditio, vt narret Petrus à Valle in epiſtolis ſuis, aliquando ipſum ſanctum Ignatium, eius opera, in ſuæ Societatis initijs vſum eſſe. Hunc venientem ad ſe Ioſephus ea verborum efficacitate permouit, & ad Scholarum Piarum inſtitutum amplectendum incendit, vt illicò manus dederit: dimiſſoque contubernio, quod curabat, ſe ſe breui ad ſcholarum domicilium tranſtulit, & rem omnem familiarem ſecum adduxit. Ex cuius tam inſignis Sacerdotis acceſſu, tanta fuit Ioſepho lętitia, vt conſolidato iam crure, breui temporis ſpatio conualuerit. Perſtititque Dragonettus in ea ſcholarum cura tam feruidè & diligenter, vt cùm nunquam miniſterium illud, quod inijt

ſe-

ſemel, intermiſiſſet; demum in eadem Congregatione, centum & viginti quinque annos natus, cum magna virtutum laude, vitam finierit.

24 Anno 1600. Ioſephus ædes conduxit Octauiani Veſtri de Comitibus Cunei; qui Clementi Papę, eius nominis Octauo, à Literis Pontificijs erat. Vbi dein Clerici Regulares ædium S. Andreæ à Valle ianuam & peryſtilium extruxerunt. Hic Ioſephus, relicto Cardinalis Palatio, vnà cum alijs domicilium fixit. Eaque cum laude, & comprobatione omnium Scholarum Piarum inſtitutio efflorelcebat, vt Præſul ille, quem dixi, peropportunè Pontifici omnia denarrauerit. Tùm noui huius ſodalitij fama lætatus maximoperè Clemens, ad ſe Calaſanctium euocauit: eique benignè prolixeque loquutus, ſe ſe dixit, olim animum induxiſſe, vt ad puerorum inſtructionem ſcholę eiuſmodi excitarentur. Sed quod grauiſſimarum rerum, inquit, nos mole obruti non potuimus, opi-

pi-

pidò gaudemus & gratulamur, per vos à Diuino Numine electos, id operis hac egregiè tempeſtate præſtitum eſſe. Iuſſitque vt P. Ioſepho quotannis aliquot centena aurea ſoluerentur.

25 Cùm Romanus Pontifex Clemẽs, vt pollicitus fuerat, ſcholas ipſe viſitare non poſſet: Syluio Antoniano, & Cæſari Baronio S.R.E. Cardinalibus, id muneris ſedulò demandauit. Qui exactè omnia, vt parerent, ſuis ipſi oculis inſpexere. Et cùm ſumma prudentia & zelo præditi eſſent; ſcholarum exercitationes & ordinem, ac Ioſephi virtutem, mirificè comprobarunt. Cùm verò in Cardinalium Congregatione iuſſu Pontificis actum eſſet, quid pro ſcholarum progreſſu in poſterum decerni deberet; Conſcriptis Patribus viſũ fuit, vt cœpta omnia eodẽ illi ritu continuarent; ſodalitatiſque inſtitutũ vt in patrocinium Apoſtolicæ Sedis admitteretur; cui tamen Ioſephus, Præfecti munere ac nomine, ſuprema auctoritate, præeſſet. Nec Pontificis Vicarius grauatè illis indulſit, vt Religioſorum ho-

minum mendicãtium more, ſtipem oſtiatim cogere poſſent. Quamobrem, tanta Patrum & Pontificis commendatione, ſcholis adauctis, cùm amplioribus ædibus, excipiendis, docendiſq; per cõmodè pueris opus eſſet; Ioſephus ampliorem in domum, contra S. Pantaleonis Eccleſiã ſuis cum ſodalibus immigrauit.

26 Sed ecce tibi Regionum Ludimagiſtri, tot populorum & omnium acclamationibus exciti, Rectorumque Sapientiæ patrocinio fulti, contra Ioſephum, Magiſtratum, & ipſos Conſcriptos Patres, datis libellis ſupplicibus, inſtantiſſimè concitarunt; vt Scholarum Piarum inſtitutionem ſuccidérent, antequàm firmiùs adoleret: ac multa procaciter in Ioſephum, veluti nouarum rerum architectũ, & à ſe ipſis lucrum amolientem, effutiebant. Verùm ſanctiſſima Dei Mater, Scholarum Piarum Patrona, quæ Ioſepho ipſi eam inſtitutionem cœlitùs inſpirauerat, præſidio illi fuit; permouitque aliquot S.R.E. Cardinales; qui, data opera, ad Pias Scholas, vel animi cauſa, vel fortaſſis

taſſis etiam à Pontifice iuſſi, vt omnia diligenter inſpicerent ac perpenderent, acceſſere: & Magiſtrorum inſtitutionem ac modum, Scholarumque ordinem, & puerorum diſciplinam ac multitudinem admirati, qui Chriſtianæ Fidei rudimenta, grammaticen, & egregiè arithmeticam addiſcebant; cùm nihil non ſummoperè commendandum vidiſſent; Ioſephum sũmis laudibus extulere. Tantique eum Pontifex facere viſus eſt, vt multas illi nummorum ſummas ſolitus fuerit elargiri, in pauperes ac inopes erogãdas. Quod præſertim in actis, non vnius viri grauis, & probi, teſtimonio conſtat, Eam verò tempeſtatem etiam in Ioſephum ciuere aliquot ex ſodalibus, qui cœptam vitæ rationem aſperitatemque ferre non poterant; & aliquot etiam ex ſcholaribus, quos Pater vel admittere noluit, vel ob improbos ipſorum mores eiecerat.

27 Obijt Clemens ſupremum diem: & Alexander Mediceus in Pontificem eſt electus, Leo XI. appellatus: qui vt olim fuerat Doctrinæ Chriſtianæ Patronus, &

Io-

Ioſephum illius ſodalitatis Præfectum optimè nouerat, ſic vnicè diligebat. Iamque ad Pontificis pedum oſcula, cùm ille ſe prępararet, Beatæ Virginis effigiem ei dono dare decreuerat. Sed breui lethali morbo vexatus Leo pientiſſimè animam exhalauit.

28 Leoni Paulus V. in Pōtificatu ſucceſſit: cui Ioſephus ad pedum oſcula admiſſus, Lauretanæ B. Mariæ Virginis Imaginem tulit. Benigneque Pontifex Ioſephum intuitus, eius ſodalitio fauit: iuſſitque vt Clementis eleemoſyna rata eſſet, & illi perpetuò exhiberetur: quod decretum diu quidem fixum, Vrbano tamen Pontifice eius nominis Octauo refixum fuit. Calumniatores tamen haud deerant, qui Pauli animum inſtigarent, vt Scholas has Pias è medio tolleret. Quòd cùm F. Ioanni à Ieſu Maria Carmelitæ Diſcalceato, ſanctitatis fama cōſpicuo, Paulus aperuiſſet; vir ille Dei zelo percitus, Ioſephi virtutem Inſtitutionemque ſic commendauit, vt lætatus ſummoperè illi Pontifex impoſuerit aſſiduam earundem Scholarū

in-

inſpectionem. Præſtitit id ſtudiosè Ioannes; ac Christi opportunè Vicario denarrauit, vnde ille rumor obortus eſſet: Ioſephus quibus planè virtutibus emicaret: Scholarum inſtitutio quanta cum diſciplina procederet: quis inde Vrbi fructus, ac Christianę Reipublicæ exoriretur; & quàm id ſacris Canonibus, ſanctionibuſq; Concilij Tridentini congruum eſſet. Quę ſanè Ioannis Venerabilis Viri mens, & propéſio erga Ioſephum, in illo præſertim Opere elucet, quod anno 1613. de cultura pueritæ, Cardinali Iuſtiniano, Scholarum Piarum Patrono inſcripſit inter alia his verbis: *Hunc iam carpe fructum ex credita tibi pueritia: cui excolendæ, vt P. Ioſepho Calaſanctio, Scholarum Præfecto Viro ob inſignem Chiſtianæ vitæ perfectionem, laude digniſſimo, gratum facerem, ante annos aliquot deſtinaui ſcriptum hoc, quo bonæ educationis præcipua capita breuiſſimè complector, &c.*

29 Sed quoniam profecta à Deo opera, tametſi perſequentium furore concuſſa, & vndique laceſſita, altiùs radicem fige-

figere ſolent; ita numerus puerorum excreuerat,& Ioſephi fama ita lõgiùs latiuſque manarat, vt Viri Principes,& S.R.E. Cardinales, ſcholas illas cum laude interdum inuiſerent. Sumptumque largè ſubminiſtrarunt, vt ad S. Pantaleonis Eccleſiam, anno 1612. ampliores opportunioreſque ædes eidem operi pararentur. Magnum verò P. Dominici à Ieſu Carmelitę Diſcalceati amoris ſignum, & beneficium fuit, quòd cùm Abbas Glicerius Lãdrianus, vir in Vrbe grauis ac celeberrimus, Religioſum inire Ordinem exoptaret, & Carmeliticum Diſcalceatorum Patrũ inſtitutũ expeteret; illi ſuaſerit illi, vt Scholarum Piarum ſodalitatem,cæteris prætermiſſis, amplecteretur. Quod ille præſtitit, & quinque alios ſecum traxit, qui ſodalitium illud plurimùm illuſtrarunt.

30 Viſum tamen fuit Cardinali Patrono, & Ioſepho Præfecto; qui nunquã ſuperiorum placitis abnuebat, vt recens hæc Congregatio, quoad altiùs radices ſua progreſſione fixiſſet, Congregationi

Pa-

Patrum Clericorum Regularium Lucenſium vniretur:quod die 14. Menſis Ianuarij anni Chriſtiani 1614. Paulus Pontifex imperauit. In quo quidem Diplomate valde laudabile, ac fructuoſum, Scholarũ Piarum inſtitutum appellat; expreſsè mãdans, eius adminiſtrationem ac regimen penès Generalẽ, ac prædictæ Congregationis Clericos eſſe, qui Magiſtros miniſtroſue ponere ac diſponere poſſent. Sed Ioſephus, qui inſtitutum illud fundauerat, quoad ipſe viueret, ſcholis perpetuò prçſideret. Rector itaque Domus S. Pantaleonis renuntiatus fuit P. Petrus Caſanius, vir doctus, magnaque animi integritate conſpicuus; & Vicerector P. Balthaſſar Guiniſius; qui magno quidem animi ardore ſcholas adminiſtrarunt.

31 Cùm verò Ioſephus, vt omnem illis faceret poteſtatem, ſe ſe vnà cum Dragonetto Tuſculum contuliſſet; Pias ibi Scholas aperuit. Sed elapſo biennio, à P. Landriano certior factus, quòd Patres illi ad proprium inſtitutum intenti, ſcholarum exercitationem ægrè ſubirent;

rem

rem expoſuit; & vt vtraque Congregatio ſeorſim procederet, vt perſanctè inceperat, impetrauit. Mandauitque Pontifex ſacræ Congregationi ſuper Epiſcopis & Regularibus, vt modum diſcuteret referretque, quo Piæ illæ Scholæ durare ac proficere poſſent. Et re ad examen adducta ac ritè diſcuſſa, ſexta die Menſis Martij anni poſt Virginis partum 1617. Ioſepho & ſocijs idē Paulus indulſit, vt ſimplicia vota ederent: & ipſorum ſodalitatem, Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Congregationē, Paulinam à ſuo Nomine nuncupauit: quam à Ioſepho, qui condiderat, ſub Præfecti titulo, perpetuò regi iuſſit.

32 Tunc Ioſepho Cardinalis Patronus Religioſum manu ſua Habitum in poſterum deferendum impoſuit, qualem ipſe inſtituti inuentor Deipara inſpirante delegerat. Eundēque Ioſephus ferè quindecim ſocijs impertiuit, conſolutatæ ab Angelo Virginis die quinta, & vigeſima Menſis Martij. Quam Dei Matrem omnes humillimè Congregationis Patronam ſta-

flagrantibus ſtudijs adſciuerunt. In cuius ille honorem, depoſito gentilitio cognomento, voluit appellari deinceps Ioſephus à Matre Dei: iuſſitque vt Congregationis inſigne foret ac teſſera, ſanctiſſimum MARIAE Nomen, micantibus radijs circunfuſum. Sed & Ioſephi exemplum inſequuti reliqui omnes, vel à B. Virginis feſtis ac titulis, vel ex Cælitibus, vt ſuperior ipſe iuſſit, addixere ſibi cognomina. Romæ verò gratum omnibus ſpectaculum fuit, nouos Religioſos viros inſpicere, Clericali quidem Habitu amictos, ſed ſchemate diſtincto decoros, qui zona præcincti ac nudipedes, Apoſtolico planè more, ſandalijs vterentur.

33 Tyrocinium deindè, conducta alibi in domo, inſtitutum fuit; & Magiſter renunciatus P. Petrus Caſanius, qui cum al is ſex PP. Lucenſium Congregatione quam dixi, hanc nouam ſodalitatẽ inierat, P. Petrus à Nata Deipara nuncupatus. Et tyrones quidem primi fuere quindecim; quos inter Abbas ille Glicerius Ioſepho percarus magnis virtutibus emi-

emicabat:eiuſque ille ſuaſione ac rogatu, nonnullos humilitatis actus in ſodalitium introduxit .Præſertim verò Superiorum dicto ita ille audiens & obediens erat, vt de eo præclarum ſanè facinus ita narrent. Ad focum omnes hyeme conſederant: cùm Ioſephus, qui iam illic intererat, & capta ſemper occaſione, de virtutum actibus appoſitè diſſerebat; Cui nam veſtrũ, inquit, ſufficit animus, vt ſuo ipſe ori arreptam manu candentem prunam admoueat? Quod vt Landrianus audiuit, nihil cogitans, nihil trepidans, nihil petens; manum protendit, carbunculum flagrantem accepit, ac deglutiuit; omnibus, qui aderant, ingenti admiratione ſuſpenſis.

34 Ipſum verò Ioſephum mirum erat quanti faceret Paulus Pontifex; ac quanta cum familiaritate cum eo inambulans aliquando colloqueretur. Quin ſemel accidit in Rotundæ Aedis platea, vt lectica vectus, Ioſephum inſpiciens euocauerit: iuſſiſque cunctis vt ſiſterent, varios cum eo miſcuit, magna oris hilaritate, nec ſine omnium admiratione, ſermones. Per-

benignè etiam eius ſocios audiebat: quibus bene precatus iubere ſolitus erat, vt Ioſephum ſuo nomine ſalutarent: voluitque pluries illi dictum, quàm libenter ipſum ad ſe venientem cerneret, & audiret. Nec pauci viri grauiſſimi teſtabantur Paulum Pontificem induxiſſe in animum ſuum, in Purpuratorum Patrum Collegiũ Ioſephum referre: quod cùm Cardinalis Montaltus illi ſignificaſſet; Dei ſeruus, qui ſolùm humilitati enixè ſtudebat, ſummis precibus exorauit, ne à Scholarum Piarũ tunc Orbi exorientium inſtituto, & à cœpto vitę itinere abduceretur.

35 Deindè à Paulo iuſſus, vt ſtatuta perſcriberet, Narniam ſe contulit, vbi Pias primùm Scholas erexit. Et poſt aliquot dierum ſeceſſum, magna quidem aſperitate, afflictatione corporis, & cæleſtium rerum commentatione peractum, Conſtitutiones ritè digeſſit; quas ipſe poſthac diſertè ſuis affirmare ſolitus erat, ſe ſe non excogitaſſe, nec edidiſſe, ſed à Cõgregationis Patrona Deipara edoctum eſſe. Quod à tantæ virtutis viro, quis ſibi

non facilè perſuadeat?

36 Paulo verò demortuo, Alexander Cardinalis Ludouiſius, Narnia pertranſiuit, vt Vaticanis Comitijs intereſſet: quē Ioſephus ſtatim inuiſit: eique Pontificatū prædixit; vti nos in Pontificum Romanorum præſagijs enarramus; & quòd Scholarum Piarum Congregationem, regularē in Ordinem erexiſſet. Nec fefellit euentus. Quamobrem, adeptus ille Pontificatum, & Gregorius Quintuſdecimus appellatus, Ioſephum ad ſummos honorum apices euehere cogitabat. Qui Romam cùm redijſſet, dignitatibus recuſatis, ſolā Ordinis erectionem popoſcit. Pronoque in eum animo Pontifex, ſacrę Congregationi negotium commendauit: quæ, re diſcuſſa, reſpondit, poſſe poſtulata concedi ſi Suæ Sanctitati liberet. Die igitur 18. Menſis Nouembris Anni 1621. Scholarum Piarum primùm Ordo approbatus eſt, atque Priuilegijs auctus. Annoque 1622. die 28. Menſis Aprilis, ipſe Ioſephus Matris Dei renuntiatus eſt ad nouennium Præpoſitus ſui Ordinis Genera-

lis. Cui Pontifex quatuor ſocios in Diplomate aſſignat, ornatos omnes ſuffragijs actiuæ & paſſiuę vocis: nimirum P. Petrum B. Virginis Natæ, P. Viuianum, & P. Paulum Aſſumptæ, & P. Franciſcum Purificatę Deiparæ. Sed trigeſima prima die Ianuarij, Conſtitutiones quas dixi, alio Diplomate comprobauerat. Vrbanus verò Pontifex, qui Gregorio mox ſucceſſit, Ioſephum eadem beneuolentia proſequutus, Generalem perpetuum eſſe voluit, & vt Ordinis etiam Priuilegia rata eſſent.

37. Scholis interim in ditione Eccleſiaſtica, Liguria, Gallia Ciſalpina, multiſque alijs in Prouincijs inſtitutis; anno 1626. Ioſephus, bona cum Pontificis venia, Neapolim venit, à Regente Carolo Tappia, magnarum virtutum viro inuitatus. Scholiſque apertis in loco, vbi Comędiæ ab hiſtrionibus habebantur; haud facile dictu eſt, earundem actores quas Dei ſeruo lites intenderint. Qui tamen Caroli Tappiæ patrocinio, ac præſertim B. Mariæ Virginis ope, illos ita peruicit,

vt plures ex ijs, ad ſaniorem mentem adducti, meliorem vitam amplecterentur; firmatis Scholis, ac multorum ciuium liberalitate plurimùm auctis. Alij etiam Ioſephi monitis excitati mores ſuos emendabant: ac nonnulli eundem ipſi Ordinẽ inierunt. Quorum in numero, Ioannes quidam Antonius fuit: cui Dei ſeruus ſeuum in crure vlcus manu palpans, ac cruce ſignans, mirè ſanauerat. Nec defuit, qui ipſius vultum fulgore circunfuſum animaduerterit: quod præſertim, vt acta tradunt, primi aliquot Scholarum pueri, cum admiratione perſpexerant.

38 Semel domi cùm nihil eſſet, quo familia vei ſcpoſſet; ea de re ſodales Ioſephũ admonuerunt: qui, Abite omnes, inquit, ad ſanctiſſimum Sacramentum, & quinquies coram eo Orationem Dominicam, & Salutationẽ Angelicam recitate. Quod illicò vt actum fuit; agaſo quidam oſtij tintinnabulum pulſans, tres in atrio mulas exonerauit, & abijt. Accurrenſque ianitor victualia quidem reperit, ſed cum mulis abeuntem hominem, qui oſtium pul-

ſauerat, non inuenit.

39 Cùm verò Neapoli tyrociniũ eſſet, accidit poſt Ioſephi diſceſſum, vt quidam adoleſcens, Bonauentura à S. Leone appellatus, à Magiſtro corriperetur: & audiens eius minas, quòd niſi mores ſuos emendaret, quamprimùm è Religione dimiſſus eſſet; adeò expauit, vt nocte illa mœrens ac dolens, Ioſepho abſenti ſe ſe aſſiduè commendarit. Cùm repentè fulgorem vidit: audiuitque ſibi Ioſephum præſentem eſſe; qui manu occipiti eius adblandiens; Bono animo ſis, inquit; nil extimeſcas. Quę verba tantùm illi præſidij contulerunt, vt mœrorem abſterſerint, & indiderint planè robur, quo deinceps aduerſa omnia conſtanti animo tolleraret. Romæque etiam Ioannes Carolus à S. Barbara, dùm in tyrocinio verſaretur, ac noctu ſopore in cubili correptus eſſet, Ioſephum, qui aberat, excitantem audiuit, vt excubitorem moneret, tẽpus eſſe, quo ſingulorum oſtia pulſari, & orãdi Numinis ſignum edi deberet.

40 Sed dùm Piæ Scholæ ſic efflore-

ſce-

ſcerēt, vt in Sicilia, Sardinia, Polonia, Boemia, alijſque paſſim in locis, plaudētibus populis certatim aperirentur; mali Dæmonis inuidia, hominem quendam, inſtitutum illud iam profitentem, cuius Dei ſeruus licentiam obiurgauerat, adeò concitauit, vt turpiſſimè illuſus, mendacijs ac animi ſui commentis inclytam Ioſephi famam commacularit:effecitq;artibus ſuis, vt 1643. & illius Præpoſiti Generalis auctoritas ſuſpenſa ſileret, & ipſe loco eius Vicarius Generalis eligeretur. Tunc omnium oculis patenter apparuit, quàm ſolida Ioſepho virtus ineſſet: qui animi tranquillitate,& oris ſerenitate admirabili,noui Superioris imperio ſe ſubiecit; & tametſi non illi ſubditus eſſet; veniam petebat ab eo, & omnia eius conuicia conſtanti libentique animo perferebat. Enimuerò præſertim accidit, vt grauiſſimè redargutum, & humillimè ante ſe genuflexum, Vicarius contumelijs onerauerit, inſignem hypocritam, ſimulatorem, ſenemque fatuum & delirum appellitans: cuius addidit, ſimulationes & vlcera vniuerſis tandem innotuiſſe, ac par

 eſ-

eſſe, vt iam lueret promeritas pœnas. Quibus animaduertens non ideò Dei ſeruum oris hilaritatem amittere, magis magiſq; verbis ac minis inualeſcebat; quoad iniurijs laceſſitum ab ſe reiecit.

41 Vicario illi, duo aut tres circiter adhęrebant, ab Ioſepho olim correcti, & qui eius diſciplinam ferre non poterant. Et clam hi Dei Seruum conuenientes, vel vbi offenderent, acriter conuicijs appetebant: pollicebanturque illi, exertis viribus ſe ſe omninò facturos, vt tandem creperet. Sed Ioſephus patienter hæc ferēs, minimè querebatur. Nihilque vnquam domi vel foris dixit aut egit, vt ſe defenderet. Imò quanuis Ordinem ſuum grauiter oppreſſum videret, eius patrociniū non ſuſcepit. Sed Dei ſe ſe prouidentiæ & arbitrio ſubmittebat, reum & dignum appellitans, cui omnia ſupplicia infligerentur: ſolitus quandoque alijs dicere, ne animum deſponderent: Filij, ſinamus id fieri quod Deo libet: & ſolùm in eo fiduciam reponamus. Et vni quidem, magna cum oris alacritate, ſecretò dixit:

Fili,

Fili, quandoquidem punctum illud iam nacti ſumus, *Pro nomine Ieſu contumeliam pati*;id adipiſci curemus, quo primûm dicitur: *Ibant Apoſtoli gaudentes*. Cùm verò vehementer ſodalis ille diffideret; Ioſephus de ſe feruenter ita ſubiunxit: Dum mihi in ore ſpiritus erit, nunquam in Dei ſeruitio, ob quamcunque calamitatē, animi firmitatem amittam, nec ſpem abijciam vnquam meam; ſed in ſpem, contra ſpem, omninò ſperabo: etenim opus noſtrum, nonniſi ob amorem Dei adorſus ſum: neque vllas mihi illatas contumelias; ſed animarum illorum, qui ſodalitium vexant, quammaximè periculum doleo.

42 Pluries hæc Ioſephus ſuis feruentioribus filijs, fidiſque ſectatoribus iterauerat. Et ecce tibi, poſt elapſos aliquot menſes, nouus ille Ordinis Moderator, qui Ioſephum, & cunctam eius Congregationem tantoperè exagitauerat, ſæuiſſima lepra, quam Medici elephantiacam appellabant, & ſacro igne correptus; cùm Dei iram vindicem miſerè ſubijſſet; continuò ſquamis ſcatere cœpit: ac breui to-

to

to corpore horribilis, peneque cōbuſtus; extra S. Pantaleonis domum, vnde Ioſephum alioſque depellere ac deturbare tentauerat; Nazareno in Collegio, ad omnium documentum, interijt, vndecima die Menſis Septembris Anno 1643. Ioſephus tamen, quem nunquam ille, etiam morti proximus, ſuum in cubiculum admittere voluit, colloquioque dignari; ſua admirabili benignitate, dùm tam periculosè decumberet, pro eius ſalute quadraginta horarum orationem indicendam curauit; & deindè vt cadauer, ad S. Pantaleonis Eccleſiam deportatum, honorificè vnà cum alijs demortuis ſodalibus, humaretur: ſed morbi vi adeò contumuerat, vt cùm in commune Congregationis conditorium inferri omninò non poſſet; ſeorſim opus fuerit, iuſto Dèi iudicio, tumulari.

43 Defunćto illi, Generalis cuiuſdam Viſitatoris opera, in Ioſephum & eius inſtitutionem parùm propenſi, alter Vicarius Generalis ſuffećtus fuit, primo illo nihilo melior; qui ſuſque deque omnia

per-

peruertere enixus; vnà cum Viſitatore vt inſtituti rationem mutaret, nouas Conſtitutiones perſcripſit, ab editis ſanè longè diuerſas: ac plures Romam ex alijs Regionibus euocauit, qui ſuis conſilijs adhærerent, Quos verò nouerat cum Ioſepho ſentire, omnes aſpernabatur & expellebat. Cardinalis tamen Ginettus recentes Conſtitutiones, quæ Ioſephi ſcitis aduerſabantur, cùm accepiſſet, nimiùm ſtomachatus, tametſi illi, ab alio Cardinale protecti, earundem promulgationem vrgerent; reſtituere noluit, nec ſe vnquam permiſſurum promiſit, vt ampliùs à quoquam inſpicerentur.

44 Cùm ergo ita ſe res haberet, & agerentur perperàm multa, quæ Ioſephi & inſtituti amantes æquo animo haud ferre poterant, ſodales qui inſtitutum colebant, ſummeque Ioſephum reuerebantur, tot iniurijs laceſſiti, prouocare ad ſummũ Antiſtitem, facto agmine, conſtituerantt Quod tamen prudens Ioſephus ne fiere, ſuadebat, prędicens aliter fore, vt cunctus penè Ordo dirueretur. Et eccc Apo-

ſto-

ſtolicæ Sedis decretum vulgarum eſt, octaua die Menſis Martij Anni 1644. eoque ſacra illa inſtitutio Piarum Scholarum, ex Ordine Regularium, in Secularium Preſbyterorum Congregationem reuertebatur. Quod Ioſephus vt audiuit, patientiſſimè inquit: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Submiſſa tamen voce ſubiunxit: Breui omnes ex hac vita Iudicium ad Diuinum abripiemur: & quæ nunc latet, clarè Veritas apparebit.

45 Tunc qui præerant aliquot Domorum Moderatores crearunt, parùm Congregationis amantes; quorum nonnemo data opera peruulgabat, Ioſephum iam puerafcere & inſanire, ac Congregationi ipſi ſuæ contrarium eſſe. Qua de re per literas cùm alij expoſtularent, ipſe ita reſpondit: Intra biennium ego, & noſtræ huius calamitatis auctores ad Dei Iudicium adducemur: & cunctis rei veritas innoteſcet. Euentus verò ita prædictioni reſpondit, vt breui omnes ex hac vita vnus poſt alium emigrarint. Et hic primi

qui-

quidem exitus fuit. Triennio ante ſuum ipſe munus cùm inijſſet; calculi diu doloribus vehementiſſimè cruciatus, poſt opij poculum,& perlatam inciſionem,quę bene ceſſerat, inſperatò mortuus eſt repertus,ſexta die Menſis Maij Anno 1647.

44 Nec impune abijt Vicarius Generalis. Inſequenti enim anno 1648.cùm nonnemo de malis quereretur, quæ tunc ipſius opera Congregatio perferebat; temerè ipſe accenſus ira reſpondit: Poſſe ſe,ſi liberet, ſuam Congregationem è terrarum Orbe radicitùs extirpare, Quibus verbis reſpondere nonnulli: Caueret, ne id potiùs ſibi qui dixerat, quàm Dei Matris Congregationi omninò contingeret. Quamobrem, ira percitus,animum induxit, vt omnes ſibi aduerſos Roma depelleret, præſertim Ioſephum ſuæ Congregationis inſtitutorem. Sed biduum non exceſſerat, cùm ex aliquot nummis aureis à Ioſepho miſſis vt commune negotium ageretur, ſolenni conuiuio præparato;eodem puncto temporis, quo cum aliquot ſecularibus inuitatis, menſæ diſcubiturus

ma-

manus ſuas Collegio in Nazareno abluebat, repentè ac miſerè corruit: & ad cubile delatus, eadem ſæua illa lepra & igne correptus fuit. Tunc vindicem Dei iram expertus, & ab externis illis arcta ſibi propinquitate coniunctis impensè monitus, miſit qui à Ioſepho de genu veniam humillimè precaretur. Sed Dei ſeruus, decuſſatis illicò brachijs ſupra pectus, cum magno ſpiritu elata voce reſpondit: Ego illi ex toto animo ignoſco: toto, inquã, animo parco illi: ita mea mihi Deus peccata dimittat: neque enim aliud vnquam, quàm eius animę ſalutem optaui. Et cõfeſtim ęgrum inuiſens ab eo vultum auertentem, verbis ſic excitauit, vt ille gratias ipſi egerit humillimè, facti pœnitens. Miſit deindè duos Sacerdotes, qui ſeriò illum monerent, vt ſe ſe ad mortem ritè diſponeret; ac poſtridie mane, ſacro Chriſti Corporis Viatico, hora decima, veſceretur. Quod cùm piè ille eadem hora feciſſet; vix horarius quadrans elapſus fuerat, cùm delirio correptus, ſexta die Ianuarij Menſis, vita deceſſit. Curauitque

que Ioſepus, vt ritè illi iuſta perſoluerẽ-
tur: ac delatum eius cadauer ad S. Pan-
taleoni ædem ſacram, honorificè in
cœmeterio communi, conditum fuit.

45 Similiter, alius quidam ſodalis
nequaquam Dei vindictam euaſit. Quip-
pè cùm primi Vicarij Generalis fidem
mendacijs habuiſſet, & ſua illum fouiſſet
auctoritate; dum miſerè Congregationẽ
concuteret, Deique ſeruum exagitaret;
enata ſibi turpiſſima in ore gangręna, Mẽ-
ſe Iulio, Annoque 1643. viuere deſijt;
cùm ipſe etiam à Ioſepho ante mortem
veniam humillimè poſtulaſſet. Quæ om-
nia Cardinalis Ginettus, perquam prudẽ-
ter expendens; ab Dei ſeruis, inquit, affli-
gendis vexandiſque cauendum eſſe. Sed
mox aliquot Ioſephi virtutes, currenti ca-
lamo, ac ſine ordine, enumeremus.

46 Sæpe ipſe pueros aſſociare, & ſua
manu ſcholas & alia cubicula repurgare
verriculo viſus fuit. Et cùm Magiſtri
deeſſent; plures ipſe vnus Scholas, ſe ſe
mirò artificio, veluti partiẽs ac diſtribuẽs,
edocebat. Cùm verò Magiſtri ipſi, vel
di-

dirigi, vel admoneri deberent, aderat ipſe opportuno tempore; & noctu flexis genibus lectiones themata & dictata in ſuo cubiculo præparabat. Nec ſemel per Vrbem oſtiatim panem emendicauit: vilia enim munia obire quotidie videbatur. Quocircà ſemel Cardinalis Torres eum conſpicatus, aſellum ſtrigili in publica area defricantem, obſtupuit; & ex feneſtra, alta voce, proclamans ait: Pater Generalis, quid agis? Cui ſubridens Ioſephus; Doceo, inquit, ſodalem, cui hic frater eſt curæ, quomodò deinceps habẽdus ſit. Sæpe in conclaui aliorum pedes oſculabatur, petebat veniam, aut cibum humi capiebat genibus flexis: inſeruiebatque interdum ipſe omnibus dum in menſa reficerentur, aut patinas eluebat: nec raró humi ſtratus voluit incedentium pedibus proculcari.

47 Nunquam permiſit, vt ſe Reuerẽdiſſimum, vel Admodùm Reuerendum, vel Ordinis Conditorem, ſcripto aut voce appellarent. Nec vlli niſi Diuino Numini Beatæque Deiparæ, Ordinem ſuum

ac-

acceptum ferebat. Summaque cum lætitia obtinuit, vt ſua olim Cōgregatio aliorum directioni ac regimini ſubderetur. Multas item patentes literas, quibus aliquando illi fuerant grauiſſima munia honorificè demandata & iniuncta, igne omnes abſumpſit; vt nulla ampliùs honorum ſuorum memoria ſupereſſet. Et ex Doctoratus Priuilegio minutatim conciſo, ſcuticam egit, qua peccantes errãteſque pueri in gymnaſio vapularent. In ijs verò, quæ apud ſe habere neceſſarium duxit, quicquid honorificum eſſet & poterat, ſtudioſè deleuit. Nec rarò alios ad humilitatem adhortans, ſi quos vidiſſet vilia munia detrectare; O ignauos, & inertes, aiebat, qui æternæ gloriæ coronas amittitis! An neſcitis, quòd paruuli ætate & humilitate, Cælorum Regnum adipiſcuntur?

48 De ſe ſuiſqus de rebus, vt ſentiebat, ſemper humillimè loquebatur. Et cùm ſecũda Dominica die Dominici Aduentus, ſermonem de more inſtituiſſet ad ſuos, de bonis, quę ex ærumna & vexatione oriuntur: eundemque deindè in ſua

aduerſis ferendis, non homines cauſam inſtrumentalem, ſed Deum vt cauſam efficientem, & noſtrum vnicum bonum intueamur. Quamobrem, mira eius patientia eluxit, non ſolùm in perferendis aduerſis, ſed & in perſecutoribus diligendis.

49 Nonnulli, quos ad vota admittere noluit, necem illi inferre tentarunt. Quos inter nouitius Laici ordinis Frater fuit: qui tentatus à Dæmone,& in iracũdiam actus, Ioſephum vel fuſte cædere, vel è medio tollere cogitauit, Nactus igitur opportunum locum ac tempus, impiè in eum ſcalas deſcendentem manus iniecit. Sed B. Virginis beneficio præſens adfuit; qui ictum animaduertens auerteret, & flagitioſum ſua voce & manu hominẽ exterreret. Cùmque tota in eum domus perſtreperet; Dei ſeruus omni conatu egit, vt qui à reliquis Patribus ampliùs domi retineri non poterat, omninò liber abiret, & nihil in foro moleſtiæ pateretur. Quem cùm audiuit ęgrum eſſe,ac ſuæ domi lecto decũbere,interdũ peramanter in-

uiſit: miſitque ſui Collegij Medicum, ac quicquid curando opus fuit ſtudioſè ſubminiſtrauit.

50 Similiter à primo illo, quem ſuperiùs dixi, contumelijs habitus, falſidicus ac mendax appellitatus, ſolùm ſine animi commotione reſpondit: Deus, Frater, qui clarè omnia peruidet, inter me & te Iudex erit, & tunc verum pateſcet. Cumq; Cardinalis Patronus nonnulla perperam ab illo acta cognoſceret; Ioſephus, fixis humi genibus, preces ſuas iterauit & inſtitit, ne ille vel leuiter puniretur. Quod impetrare non valens, ac præuidẽs, quod breui futurum erat, elatis ad Cælum oculis, inquit: Væ meæ Religioni, væ mihi: ſed de me, cunctoque Ordine fiat, quicquid Deo libet. Et ecce, breui temporis interſtitio elapſo, ſexta quadam feria, apud ſacram Congregationem quandam delatus, vnà cum ſuis Aſſiſtentibus, Secretario, & Procuratore, euocatus fuit in iudicium. Confeſtim impranſus Pater, ac pridie etiam incœnatus, pallium induit; viæque ſe dedit, vt iuſſum fuerat; cu-

pie-

piebatque etiam per viam ſedilium cele-
briorem tranſire, vt maius ſibi dedecus
inferretur. Et pompa quidem hæc erat.
Præibat Ioſephus cum ſuis: ſequebatur
quidam curru vectus, & poſt currum ag-
men ſatellitum incedebat. Et vbi ad ſa-
cras illas ædes iam peruenere; ſubſiſtere
Ioſephus in aula iuſſus, tanta cum ſereni-
tate animi hærebat, vt ſedi ſubnixus, ſo-
pori ſe dederit, ſuam interim innocentiā,
& inſignem animi integritatem oſtendēs.
De quo autem agebatur, hoc erat. Scripta
quædam ſublata fuerant è cubiculo illius,
quem ſuperiùs indicaui; in quibus aliquid
erat, ad ſacram Congregationem illam
quod attineret: quæ quidem Ioſephus, cui
ille crimen impegit, nunquam aſpexerat:
ſed mandauerat ea per ſuum Auditorem
auferri Cardinalis Patronus. Qui ſtatim
vt id reſciuit, rem ſuo Chirographo con-
teſtatus, illa reſtituit. Et tunc Ioſephi in-
nocentia dilucidè aperteque comperta,
honorificè ſuis cum ſodalibus reuectus eſt
domum.

51 Virginalis eius caſtitas tanta erat,

vt vultu, moribus, ac ſermone, veluti Angelus, pudicitiam præ ſe ferret, pudorẽque alijs quibuſcũ ageret inſtillaret. Nullus aliquam eius corporis partem nudam aſpexit. Nullus, niſi eius hoſtis & à malo dæmone per inuidiam incitatus, non eius modeſtiam, & inſignem animi integritatem admirabatur. Paupertatem ſic adamauit; vt ſua pauperibus inſtituto Ordine omnia diſtribuerit. Nec aliorum hęreditates optauit vnquam; quin ſibi oblatas conſtantiſſimè recuſauit: voluitque vt ſodales ſui pauperes eſſent ac mendicarẽt: diuinamque illis Prouidẽtiam ſemper adfuturam pollicebatur. Ideò nullis precibus flecti potuit, vt Squarciafichię familiæ legatas ſibi facultates acciperet; quæ ad quamplurima aureorum millia, vt dicitur, aſcendebant. Sed tametſi pauperrimus eſſet, qua poterat inopes ope ac ſubſidio ſubleuabat. Flagitauit ſemel ab eo, dum in ſacrario eſſet, quiſpiam eleemoſynam, qui vxorem & multos liberos ſe dixit habere, quos alere deſperabat. Ioſephus ſtatim Oeconomum euocauit. Et

quot

quot domi panes, inquit, habemus? Perpaucos,ille reſpondit. Iuſſitque Ioſephus, vt egeno illi omnes elargiretur. Abnuit miniſter: quòd domi ægri eſſent, quamprimùm reficiendi. Sed Ioſephus; Parete, inquit, & date illi panes quotquot habetis: noſtratibus enim Deus proſpiciet panem ægris ac ſanis. Hoc audito, miniſter obtemperauit: nec pauper ille panibus onuſtus templum egreſſus fuerat; cùm famulus Cardinalis Montalti domus ianuã ingreſſus, Ioſepho ſcriptum exhibuit, vt ex quodam piſtore Vrbis, Patres, cùm liberet, nonagita ſibi panũ decades accipere poſſent. Nequaquam verò tacendum, alia die, cùm domi panis minimè eſſet, quòd Matrona quædam venit ad ianuam, electiſſimum in calatho panem ferens. Quæ, qui aderant cùm eius ſpeciem, & dignitatem admirarentur, relicto ſtatim pane,diſparuit.

52 Obedientiam ita peramãter ac libenter amplectebatur, vt ſuperiori cuicunque, etiam illi, cui nulla ratione tenebatur, veluti Nouitius ad nutum obtem-

perarit. Nec ingraueſcente, aut extrema quidem ætate, Superioris vnquam ſcita neglexit; nihil omnino tutius, nihil optabilius, videri ſibi prorſus affirmans, quàm parere, obſequi, & aliorum arbitrio ſe ſubmittere. Quin in rebus domeſticis, ſuam ſæpe voluntatem atque ſententiam facilè alijs auditis abijciebat. Sed alijs prętermiſſis hoc vnum ſufficiet, vt eius ad parendum facilitatem & promptitudinem admiremur. Clemens Boncompagnus, eius calamitatem & ſenectutem perpendens, ſexaginta circiter aureos illi nummos impertijt, vt in ſui commodum & vtilitatem impenderet. Et quanuis Ioſephus, vt Præpoſitus Generalis (etiam ſi in alios ſuſpenſa eſſet eius auctoritas) nulli ſubditus eſſet; Paupertatis tamē & Obedientiæ amantiſſimus, ſtatim omnem pecuniam aduerſo ſibi primo illi Generali Vicario conſignauit; humillimè rogans, vt, ſi videretur, aliquid ex ea ſumma ſibi concederet, quo vt in more habebat, benefactoribus & deuotis poſſet pia munera diſtribuere. Sed is, accepta pecunia, ni-
hil

hil de Ioſephi neceſſitatibus curans, ac ruſtico ore vt ſolitus erat, pauculos ſolùm denarios illi contulit: quos Dei ſeruus cũ ſumma animi quiete & oris alacritate ſuſcepit. Eccleſiæ verò præceptis ita parebat, vt nunquam, vel grauiſſima ſenectute adactus, cineralia ieiunia ſoluerit.

53 Hæc tanta virtutum decora oſtẽdunt, quàm meritò illi contigerit, quod fortaſſe initio à nobis ſcribendum erat. Cuidam enim ſuo familiari ſemel narrauit, tres numero puellas per quietem ſe ſe vidiſſe, quæ ad ipſum propiùs accedebãt: quarum vna opem ab eo profuſis lacrymis magniſque clamoribus implorabat. Percontanti verò Ioſepho, quid mali haberet, & cur tantoperè gemeret? Omnes, inquit, me contemnunt, fugiunt, expellũt, & auerſantur: & non eſt, qui me recipiat foueatque. Tunc miſertus Pater, eam amplexatus eſt, & in ſublime extollere videbatur. Hæc cùm mane vidiſſet; eadem die myſterium intellexit. Auguſto enim menſe Aſſiſium venerat, vt B. Mariæ Angelorum inuiſeret ſacram ædem, & inſi-

gnem illam peccatorum expiationem ac indulgentiam lucraretur. Et tunc orans, bis Diuum Franciſcum Aſſiſiatem aſpexit;qui tres illas miræ pulchritudinis puellas ipſi eadem in Eccleſia deſponſauit,tria Religioſi Ordinis Vota repræſentantes; deſpectam nimirùm ab omnibus Paupertatem, Caſtitatem, Obedientiam. Quod tamen non primo illi, quem dixi,ſed alteri Religioſo viro externo narraui, ſibi familiariſſimo,qui ſic habet: *Frater Bonauẽtura Clauerius,Potentiæ Epiſcopus, & magnus peccator, toti terrarum Orbi fidem facio coram* Deo,*quòd P.Ioſephus Matris*Dei, *Scholarum Piarum iam Generalis,cognitus à me fuit; & eius conſuetudine per annos plurimos vſus ſum: & ſemper inhærentem ſibi virtutem atque perfectionem tam in actibus, quàm in verbis oſtendit;ita vt ipſi loquens, incenderer ad* Dei *amorem, & ad mundi cõtemptum.Et cùm ſemel illi Romæ, in æde S.Pantaleonis,nonnullos meos ſenſus aperuiſſem; ſecretò ipſe mihi narrauit,olim Aſſiſii, quò ob Plenariam Indulgentiam,ad S.Mariæ Angelorum feſtum perrexerat, ſibi*

ſe-

ſemel & iterum S.P. Franciſcum apparuiſſe, & tres illi deſponſaſſe Puellas; quæ Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis Vota exprimebant. Tum magnam illi difficultatem oſtendit, quæ in Plenaria Indulgentia adeptione contingit: quam & ſi probè intellexerat ob illuſtrationem acceptam; explicare tamen minimè ſe poſſe illã affirmauit. Quãobrem, puto fœlicem illam Animam nũc Cælo iam frui; ſicut mirus in terris & is Chriſti ſeruus apparuit, quem facilè imitari alij minimè poſſent. Eunque rogo vt mei meminerit miſeri & viliſſimi peccatoris. Potentiæ die 15. Octobris 1651. Ego frater Bonauentura Clauerius confirmo quicquid ſupra manu propria ſcripſi.

54 Cæterùm quicquid eiuſmodi eſſet, ſtudiosè ipſe contegere, ac nulli narrare ſolitus erat: nec domi vnquam innotuit, niſi quod Landrianus & alij magnæ virtutis viri ſuis ipſi oculis obſeruarunt. Vt cùm ſemel cubiculum eius quidam familiaris ingreſſus, Ioſephum reperit, animo à ſenſibus auocato, ſurſum in aera elatum eſſe. Alius verò, qui cum ſanctitatis

tis laude florebat; cùm noctu eius cubiculi oſtium inſpexiſſet; miro quodam lumine radians; ſanctiſſimam Dei Matrem illic per rimas animaduertit, à duabus ſanctis Virginibus comitatam, ſublimi è terra Ioſepho, elatoque in aera blandientē. Mox aliquot abſentium ſecretorumque cognitiones & vaticinia referamus.

55 Cùm ſodales domum ex negotijs aut mendicatione redibant, antequam quicquam referrent quod actum erat, eos interdum Ioſephus, aut laudabat, aut arguebat, quòd benè aliquid, aut perperàm præſtitiſſent; omnibus qui aderant admiratione ſuſpenſis. Et ſemel quidem duos Laici ordinis Fratres miſerat extra Vrbem; quorum alter in doſſuarium iumentum, quod in itinere errauerat, ita excāduit, vt diu illud fuſte cæciderit. Sed domum reuerſum, veluti id ipſe præſens oculis adſpexiſſet, Ioſephus blandè coarguit ac correxit.

56 Iuliæ Mirandæ, diuiti olim fœminæ, mox egeſtate depreſſæ, cui ſua ipſe ope ſubueniebat; apertè dixit, ſe ſe minimè

nimè ex hac mortali vita abiturum, quin Numen illi quotidianam ſtatamque alimoniam attribueret. Nec prædictio euẽtu caruit: pridie enim quàm Ioſephus è vita migraſſet; Romanæ Rotæ Auditores quotidianum illi panis ac vini penſum, & nummum aureum in menſes ſingulos, aſſignarunt.

57 Quidam Diomedes, ex ſuis, Neapolim pergere cupiebat: renuebatque Ioſephus: qui à quodam S.R.E. Cardinali coactus, vt id permitteret; Abi, inquit; ſed tamen ſcias, Parentibus tuis, nequaquam, vt optas, te allaturum ſolamen. Cumque ille Roma profectus eſſet; paucis aliquot menſibus elapſis, vitam cum morte, nec ſine magna Parentum mœſtitia, commutauit. Perſimilem exitum prædixit, cuidã Ioanni Baptiſtæ, cùm è Congregatione diſcederet, vt ſororibus opem afferre poſſet. Non enim, inquit, opitulaberis ſororibus tuis; ſed graue illis detrimentum ac damnum afferes. Nec vana fuit denũtiatio. Illecebris enim inhoneſtæ vitæ cùm ſe dediſſet, rem familiarem ita diſperſit,

vt

vt biennio mortuus ſorores,in magna quidem inopia & egeſtate,reliquerit.

58 Laurentius ab Annuntiatione, anno circiter 1641. Aprili Menſe grauiter ægrotabat. Cui tamen Ioſephus benedictionem poſcenti, ſuo nomine dictum voluit, eum minimè moriturum, quòd ipſe nollet. Et deindè illum cùm inuiſiſſet, frontem Cruce ſignauit; & S. Ioannis Euangelio recitato; Non morieris,inquit: volo vt ſis incolumis, & mihi in Ordine inſeruias. Nec fefellit euentus; nam quatriduo poſt è lecto ſurrexit. Similiter Carolo à Paſſione depõtano iam ſeni, & ægritudine laboranti; Bono ſis animo, ait: conualeſces, & inſuper viues duodecim annos.Totidẽq;incolumis ſuperuixit.

59 Anno circiter 1618. P. Paulum Moderatorem, cuiuſdam; Oppidi domum miſit,quod viginti paſſuum millibus ab Vrbe diſtabat. Cumque illius ſocius, Michael quidam Lucenſis, Laici ordinis Frater, cibum petijſſet, quo ambo in itinere veſcerentur;Ioſephus, qui aliàs tanta charitate flagrabat,vt peregrè profecturos

non

non commeatu ſolùm, ſed & donis alijs impertiret; Abite, inquit, nam veſtro itineri ſufficiens annona non deerit. Profecti igitur ambo, cùm meridie quieſcere vellent, ad fontem diuerterunt: vbi ſtratum candidiſſimum linteum, duos panes, ac vini lagunculam inuenere. Qua de re Ioſephus certior factus, ſermonem ad omnes de habenda in Deum fiducia inſtituit: idenque alijs aliquando narrauit, cùm Diuina de Prouidentia loqueretur; factum aſſignans non ſuo merito, nec prædictioni quam fecerat; ſed fidei, quam vterque illorum habuerat, nihil hæſitans.

60 Duo eius ſodales, Genuenſes, in Patriam regredi cupiebant. Abnuit Ioſephus: ſed aliquot Cardinalium rogatu coactus, eos abire permiſit. Rectori tamen illius domus ſcripſit hæc verba: Noſtrates veniunt iſtuc, vbi vitam finient cũ propria voluntate: parere enim non dum in Ordine didicerunt. Comprobauit prædictionem euentus; nam breui vnus poſt alium obiere.

61 Lauræ Caietanę, nobili Matronæ

Ro-

Romanæ,quæ anxiè verebatur,ne filius in bello interiret, facto animo dixit: Reuertetur incolumis,ſed domi æger obibit. Quod planè contigit. Eidenq;anno 1639. de Franciſco Biſcia genero dubitāti,quòd feria ſecunda maioris hebdomadæ in quendam Caſtellum peregrè abiret, diſertè prænuntiauit,ampliùs illum minimè reuerſurum. Nec octiduum exceſſerat, cùm correptus apoplexia, feria ſecunda Dominicæ Reſurrectionis viuis exceſſit. Cùm verò Bernardinus Biſcia eius Nepos grauiter ægrotaret; à Bernardino Miſſorio, & Clemente Lanti Medicis depoſitus fuit. Sed Laura & eius filia Hortenſia, adoleſcentuli Mater,Ioſephum confeſtim accerſitum rogarunt, vt ægro ſanitatem cœlitùs impetraret.Qui illum Cruce munijt: & Diui Ioannis Euangelio recitato, valere dixit. Iamque deindè Medicis admirantibus, momento omnis illius ægritudo abacta diſceſſerat.

62 Sacerdos quidā Drepanitanus Romæ cùm ageret, vt neſcio quam in Patria Eccleſiaſticam dignitatem cōſequeretur;

mo-

monitus per literas, fratrem ſuum grauiter ægrum eſſe, magnoque verſari in vitæ diſcrimine; verebatur ipſe, ne Fratrem ſuum, & etiam facultates amitteret. Quãobrem diſcedere iam Roma decreuerat. Sed Ioſephus iuſſit illi, vt bono animo eſſet, nec niſi re peracta ex Vrbe diſcederet. Quibus verbis ille confirmatus Romæ hęſit, & obtinuit quod petebat; fratremque ſuum incolumem, in Patriam reuerſus, inuenit.

63 Prædixit Sebaſtiano Pieruiſano moleſtias & iniurias, quas à fratre accepturus erat. Cui deindè, ob illatas iam ab eo contumelias, grauiter commoto ac mœrenti, ſimiliter fecit animum; quòd idem olim Frater, Nepotum actus iniurijs & inſidijs, humillimè ab eo veniam & opem efflagitaſſet. Quæ omnia, vti Ioſephus dixerat, poſt octennium, euenerũt.

64 Dominicus Emmanuel, ab externo illo Viſitatore facultatẽ popoſcit in quodđã Oppidũ abeundi. Sed cùm à Ioſepho etiam veniam poſtularet; Vir Dei, Abibis, inquit, & continuò in morbum inci-

des; nec Romam me reuerſus inuenies: & niſi hìc firmè conſiſtas, ex Ordine egredieris. Perrexit Dominicus, ægrotauit, rediijtque poſt Ioſephi obitum Romam. Sed Panormum ſe conferens, ibi Religioſum Habitum exuit.

65 Anno 1641. in Farano Oppido Ducis Mutinenſis, Franciſcus S. Peregrini, qui diutina ægritudine laborauerat, pertæſus mali quod paſſus fuerat, & incommodi, quod domui atque ſodalibus afferebat; ſcripſit ad Ioſephum, quod ſi ita Deo videretur, atque ſibi expediens foret; cum eius venia, vita excedere peroptabat. Cui bona eius diſpoſitione lætatus Pater, benè precatus eſt, mortemque vicinam prænuntiauit. Nec pollicitatio vana fuit: nam acceptis æger literis, ſacramenta Eccleſiæ à P. Rectore petijt, & exceſſit.

66 Eugenia Pauli de Humilitate tonſoris coniux, qui Patribus domus S. Pancaleonis inſeruiebat; haud ſemel abortū paſſa, Ioſepho ſe commendauit. Qui cùm illam Cruce ſignaſſet; Bono ſis animo, in-

quit:

quit: non ampliùs fœtum abiges, ſed paries deinceps in lucem. Multoſque deindè filios concepit, & fœliciter edidit.

67 Petro Poli Theatinum Ordinem & Habitum poſtulanti, palam edixit, Dei voluntatem eſſe, vt è ſeculo non diſcederet; quòd ſi in Ordinem ſe reciperet, breui Habitum deberet exuere. Et ecce tibi germanus eius Frater vita decedẽs, quinque filios filiaſque deſeruit; quas ipſe domi ſuæ omnes excipere, & educare coactus fuit.

68 Sacerdos quidam cùm ſine Ioſephi facultate, ſpontè, Romam ſe contuliſſet; antequàm in Vrbem pedem inferret; miſit qui ab eo veniam poſceret. Cui Ioſephus; Veniat, inquit; ſed certò ſciat, antequam domum perueniat, pœnam inobedientię ſe daturum. Quod ille audiens in Vrbem intrauit: ſed caſu decidit ex iumento, quo vehebatur: & crus illi miſerandum in modum effractum fuit.

69 Tres Sacerdotes, Iubilei anno, 1645. Genua Romam pergere optabant, Franciſcus à Purificatione; Petrus à Na-

tiuitate, & Paulus quidam Mutinenſis; quibus Ioſephus ita reſcripſit: Veniant Patres Petrus & Paulus: nam P. Franciſcus, altero iubilei anno, incolumis erit, & Romanum iter habere poterit. Cùm ergo tunc illi Romam profecti eſſent; breui deindè viuere deſiere: ſed cùm Franciſcus, qui quadrageſimum tunc annum inierat, diù illis ſuperuixiſſet, inſequenti Iubileo, Romanum iter arripiens, Ioſephi prædictionem impleuit.

70 P. Ioſephus Manſius è Congregatione Oratorij, vir doctus & ingenij monumentis illuſtris, cùm ſedente ad Clauum Vrbano, Parmenſes milites ditionẽ Eccleſiaſticam occuparent, & haud leue damnum agris inferrent, ac trepidare permulti de belli exitu viderentur; Ioſepho retulit, quod nonnulli illud Abbatis Ioachimi (vt vulgò creditur) Vaticinium, *Draco vorabit Apes*, extimeſcebant. Quod vt Ioſephus audiuit, vultu hilari reſpondit his verbis: Non ille quidem eſt Draco, de quo loquitur Ioachimus: breui omnia componentur. Prædictionemque

com-

comprobauit euentus. Nam intra paucos aliquot dies, P. Manſius, ſublatis diſſidijs, pacata omnia, & iam fœdus initũ inaudiuit: & vt Pontifex Vrbanus exceſſit vigeſima die Menſis Iulij; draconem fuiſſe illum animaduertit, qui exprimi ſolet in iconibus S. Marthæ.

71 Cùm verò Comitia, poſt Vrbani exitum, haberentur; vox erupit, neſcio quem Cardinalẽ in Pontificẽ electũ fuiſſe. Quod vt Ioſepho relatum fuit, conſtanti animo dixit: Non is, ſed Ioannes Baptiſta Pãphilius, erit Pontifex; vt euenit. Quãplurimis itẽ Cardinalibus, aut alijs illuſtribus viris, dũ lecto decumberent, & ægritudine laborarent; certo exitu mortem, aut recuperandam ſanitatem prænuntiauit. Idenque conſtat, quamplurimis etiam abſentibus per literas indicaſſe. Nec ſemel liberos exoptantibus, prolẽ promiſit, quã ſuſceperunt. Sed inter alia, quod adijciam, maiorem admirationẽ promeruit.

72 Matthæus Iudiſchi, Canonicus Metropolitanę Eccleſiæ Ghinnenſis, Archidiaconus Vlaſdilauienſis in Pomera-

nia, audita Ioſephi fama, vt de facie illum noſceret, Anno 1635. Menſe Maio, vnà cum Chriſtophero Iucinski, Poſnaniæ Arcis Præfecto, Regnique Poloniæ Senatore, ſene quidem octogenario, Patauiū venit, & deinde Lauretum. Cumque Comes ille, præ corporis imbecillitate & ægritudine progredi vlteriùs non valeret; Matthæus eius nomine Romam profectus ad Ioſephum ſe contulit: quem humillimè veneratus, Senatoris illius petitionem expoſuit. Quippè cùm ad Catholicam Fidem, vnà cum ſuis pagis & ſubditis, iam pridem veniſſet, & inuiſus eſſet Hæreticis; optabat vt filius, qui plures fœminas ex vxore ſuſceperat, marem gigneret, qui ditionis hæres futurus eſſet, & eos populos in Fide Catholica conſeruaret. Reſpondit Ioſephus ſe peccatorē eſſe, nec tantæ virtutis, vt ea impetrare poſſet à Deo. Cognouit tamen Archidiaconus, ex ipſo eius ſermone, eius virtutem ac ſanctitudinem; ſentiebatque ſe plurimùm ab eius verbis intimè incendi. Redijtque poſtridiè, nec eius humilitatem

eui-

euicit. Tertiò verò cùm rediijſſet, rogaſſetque vnà cum Alberto Grealicio Sacerdote Polono; pollicitus eſt Ioſephus, ſe ſe preces aliquot & diſciplinas, ea pro re, cum ſodalibus habiturum. Reuerſoq; illi, vti iuſſerat, poſt tertium diem, prandium Ioſephus exhibuit, & dixit hęc verba: Nos pauperes & peccatores orauimus; & Diuino Numini placuit veſtras audire preces. Itaque Dei nomine, qui confidentem neminem derelinquit, ſecuros vos reddo, Chriſtopherum non ampliùs ægrum eſſe: nec Laureti, ſed Boboniæ degere: qui priuſquàm perueniat in Poloniam, certior fiet, quòd filius ex cõiuge marem ſuſceperit: ſi in Dei timore perſiſtet, alterum & tertium habiturus. Abijt Matthæus, & incolumen Chriſtopherum Bononiæ verſantem inuenit: qui cum eo profectus inde Venetias, ac Patauium, vt poſt exactã æſtatẽ iter reſumeret, Septembri Menſe nũtiũ accepit, quòd Andreæ filij vxor virilem ſexum fœliciſſimè iam pepererat: ediditq; progreſſu temporis, in lucem, alterum & tertium filium.

73 Similiter eidem Archidiacono, Mathiæ Lubienſchi, Vladislauienſis Epiſcopi ſalutem commendanti, ſubiunxit: Ne dubites, benè valet: octoginta annos excedet: & Antiſtes erit permagnus in Eccleſia Dei. Fuit enim Archiepiſcopus Ghiennenſis. Nec alia omnia exitu caruiſſe; idem Archidiaconus, qui fuit eius Vicarius Generalis, & quatuor ac viginti annos illi inſeruiuit, iuratò Romæ, poſt Antiſtitis & Ioſephi obitum, affirmauit.

74 De ſua verò Congregatione Ioſephus hæc olim diſertè prænuntiabat: O quot laboribus, cladibus, & diù ærumnis exagitabitur? Diu libra diſcutietur; & hęrebit in puncto. Sed demùm ceſſabunt aduerſa: & ſuam Dominus, & B. Virgo Religionem proteget, & augeſcet. Multa præſtita ab eo mira narrantur: quorum obiter vt nonnulla deſcripſimus, ſic paucis alia adijciemus. Et puero quidem, cui Magiſter, cùm ſcutica illum percuteret, oculum eruit; Ioſephus ſtatim accurrens, oculum in propriam ſedem manu reſtituit.

75 P.

75 P. Ignatius Genuenis è ſcalis præceps corruerat: percuſſoque occipite, loqui deſijt, ſed interdū eiulabatur à Medicis deſtitutus. Ioſephus inter orandum, cùm clamorem illum inaudiuiſſet; commotus animo, Quid eſt? inquit. Remque à Laurentio Annuntiationis edoctus, ſuſpirium duxit: ſublatiſque ad Cælum oculis hæſit orans. Nec ampliùs auditus eſt æger: qui diſcuſſo illicò dolore conualuit. Et poſt mediæ horæ ſpatium Chirurgus adueniens, incolumem reperit, quem pridie deſperauerat.

76 Idem Laurentius ab Annuntiatione, anno circiter 1642. ardenti & lethali febre cùm æſtuaret, à Ioanne Maria Caſtellano Medico deſperatus, ad mortem bene obeundam ſe comparabat. Cui tamen Ioſephus; Non morieris, inquit; volo vt diutiùs viuas; & mihi, qui indigeo hominis & opis, inſeruias. Quibus verbis ita confirmari, & excitari ſe Laurentius ſenſit, vt illicò conualeſcens, redeuntem Medicum in ſummam admirationem adduxerit.

77 P.

77 P. Caſtilius, qui Tuſculanam Domum adminiſtrabat, in febrim incidit: adeòque inualuit morbus, vt de eo actum eſſe Pauli Pontificis Medicus, Hieronymus Pallottus, exiſtimaret. Patres, miſſo ſtatim tabellario Romam Ioſephum admonuerunt, vt ſi videre cuperet ægrum viuum, ſine mora Tuſculum ſe conferret. Cùmque poſt biduum non veniret, feruentioribus literis illum ſolicitarunt, vt properaret, quòd iam æger morti proximus eſſet. Tunc nuncio Ioſephus ita reſpondit: Dicite Patribus, quòd me æger opperietur. Et poſt aliud biduum profectus, ægrum cùm inueniſſet iam deſtitutum, & loqui ampliùs non valentem, arctè illum amplexus; Non morieris, inquit, breui conualeſces. Et poſt triduū, è lecto ſurrexit.

78 Ferdinandus Tuder, cuiuſdam Romani Præſulis Oeconomus, grauiter ægrotabat: quem Ioſephus cùm à Præſule rogatus inuiſeret; Medicos reperit, de eius febre & graui ægritudine in ipſo eius cubiculo differentes: ſed iucundè ipſe ad

ægrum

ægrum accedens, manum prehendẽs, pulſus venarum attigit. Tum conuerſus ad Medicos; Hic ex toto, inquit, vt ſentio, febre caret. Subriſere illi, & ægro febrim ineſſe acutiſſimam affirmabant. Rogatu tamen Ioſephi, venarum pulſus cùm iterum explorarent; verè illum vacare febre ex toto dixerunt.

79 Felix Plantanidius cùm per decẽ dies vrinam reddere minimè valuiſſet, fruſtra quotidie auditis Medicis, & vana omnia remedia expertus; cùm omnes dicerent, etiam ſi mingeret, non victurum; curru vectus contulit ſe ad Ioſephum, & genibus humi flexis opem popoſcit. Cui vir Dei poſt adhibitas preces; dum mores ſuos emendaret, pollicitus eſt fore, vt ſanitatem conſequeretur. Spe concepta redijt domum, & poſt duos treſue alios dies, quibus promiſerat ſe illẽ oraturum Deum; Felix vrinam fecit, & contra Medicorum opinionem conualuit. Natus huic puer erat, Franciſcus Dominicus Philippus Plantanidius appellatus, qui luxato pede cùm claudicaret, nec reme-

medijs ac Medicorum arte,rectis firmiſq; veſtigijs incedere poſſet; miſſus à Matre ad Ioſephum fuit; qui pedis tumore quodam vexatus, cùm deambulare non poſſet, in ſuo ſe ſe cubiculo continebat.Itaq; puerum complexus, quadam in menſa ſtitit, oratoque Numine ſuper eum,manu pedes & crura ſcalpſit; & deindè remiſit domum: vbi puer incolumis firmiter ſtare, rectoque greſſu incedere viſus fuit, ac ſi vitio illo pedum nunquam antea laboraſſet.

80 Felix de Totis Ioſephum domum ſuam multis adeò precibus inuitauit, vt pollicitus ille fuerit poſtridie ſe venturũ. Cùmque domi fercula prçparari iuſſiſſet; famula, quæ nihil tale vnquam egerat, illicò ſtrepere, ac furore quodam corripi viſa eſt, quòd capitaliſſimus hoſtis domum venturus eſſet. Stupuit Felix, & à dæmone obſeſſam fœminam intellexit. Maneque poſtridie, antequam cerneret, & audiret, ac domum ingreſſus eſſet,adeſſe illum præſentiens, ſtrepitus & clamores adauxit. Ioſephus vt ſtatim adfuit,&

quid

quid domi contigiſſet audiuit; furentem famulam vocat: illique,vt acceſſit,imponens capiti manum, ait: Abi & exequere munus tuum. Et illa confeſtim ſilens obtemperauit.

81 P. Michael à ſanctiſſimo Roſario longè ab Vrbe Roma æger erat: & ægritudinis diſcrimen animaduertens; id P. Ioſepho per literas nuntiandum curauit. Statimque vt literæ ad eum perlatæ fuere, orauitque Ioſephus, ille conſanuit: accepitque ſuo tempore reſponſionis Epiſtolam; in qua vir Dei reſcribebat; quòd iã ex ſua ægritudine conualeſceret: & ad ſanctiorem vitam deinceps inſtituendam grauiſſimis eum monitis hortabatur. Idenque teſtatus eſt Michael ſibi in alia ægritudine contigiſſe, & autographas eius literas oſtendebat.

82 Multis alijs morbis ac febribus imperauit, vt ex ægris corporibus momento diſcederẽt: ſed illud multos ingẽti admiratione defixit. Ioſephi ſodales Panormum venerant: vbi primò omnium à Noſtratibus excepti fuere. Et cùm con-

ſpi-

ſpicuo in loco ſedem fixiſſent; anno 1640. Septembri Menſe D. Franciſcus de Barra & à Monte nigro, peditum Dux in Regno Siciliæ, Romã petiturus, ab illius Domus moderatore, Epiſtolã viri Principis Vintimilia ex familia accepit, quam Romæ Ioſepho ſuis manibus exhiberet, rerum momenta grauiſſima continentem: Hanc acceptam repoſuit in D. Ioannis Roſæ, Cardinalis Cherubini Theologi cubiculo ſuper menſam. Sed cùm reuerſus ſub horam ſalutationis Angelicę reſumeret Epiſtolam illam, vt Romam ſecum afferret; eius inſcriptionem perlegit, quam antea non inſpexerat: aduertitque literas non datas eſſe ad Ioſephum Romam, ſed ad Vintimilium Dynaſtam Panormum: & cùm non ſine ſtupore reſignatæ fuiſſent; reperta eſt Ioſephi reſponſio, ad quæ ille pridie poſtulauerat. Quod, vt teſtatur ſua manu Ioannes Roſa, qui adfuit & id quidem inſpexit, à cunctis, ſed præſertim ab Eminentiſſimo Cardinali, Ioannettino ab Auria, Archiepiſcopo, & eius Vicario Io: Antonio Geloſo, quammaximum ſtuporem elicuit.

83 Cæ-

83 Cæterùm Ioſephus, cùm ab intima quadam ægritudine perdoleret; prima die Menſis Auguſti, in honorem S. Petri ad Vincula ſacrum fecit. Tùm cubiculi claue Rectori tradita; Pater, inquit, quicquid habeo in hac cellula, veſtrum eſt: neque enim meum aliquid duxi vnquam. In ea verò, præter lectum, menſam, & ſcamnum, candelabrum, paucos libellos, & atramentarium, pretioſa alia ſupellex non erat, quàm aliquot ſudariola, duæ crateræ fictiles, & quędam lignea cochlearia.

84 Deindè cùm ægrorum lecto decubuiſſet, noctem ex dolorum cruciatu traxit inſomnem. Poſtridie mane cùm ſurrexiſſet; præ imbecillitate ſacris operari non potuit. Penſo igitur Diuini Officij perſoluto, Miſſæ ſacrificio interfuit, & Cæleſti Dape refectus eſt. Euocati verò Medici, Io: Maria Caſtellanus, ac Petrus Peregrinus, nullum præter ſenium in eo morbum arbitrabantur: nec ad octauum vſque diem febrim obſeruauerunt. Ipſe tamen acutis doloribus intimè diuexatus,

& ſe

& ſe ſe febrim habere, & morti proximũ affirmauit: oppoſita tamen & ſibi noxia remedia minimè recuſabat.

85 Cùm ſe ſe verò paulatim, contra Medicorum opinionem, febris expanderet, Ioſephus toto vri corpore videbatur: ac dolore laterali correptus, nec cibum, nec ſomnum capere poterat. Cuidam tamen, qui illum ſolabatur, ita reſpondit: Ego plurimùm gaudeo, quòd in me voluntas Domini fiat: mœreoque dumtaxat, quòd dolores hi non permittant, vt illos quos opto edam actus amoris & cõformitatis in Deum. Nec tamen ſuas ipſe quotidianas preces, præſertim in Congregatione fieri ſolitas, omittebat. Communionis Sacramentum pluries obijt, impensè Deo atque Deiparæ ſe commendans: vt quæ tot flagitioſis ac perditis hominibus à Filio ſuo veniam impetrauerat, ſibi omnium nequiſſimo eandem indulgẽtiam exoraret. Cunctos verò qui aderãt, humillimè precabatur, vt commiſſis ab ſe defectibus & erratis ignoſcerent. Sed ſi à quopiam mali aliquid accepiſſet, libentiſ-

ſimo

ſimo id animo condonabat. Omneſque præſentes & abſentes amplectebatur:eiſq; bene precari, ac ſuadere ſolitus erat, vt Deo fiderent: quem vehementer orabat, vt cunctos ſua gratia cumularet. Sed cuidam eũ familiariter alloquenti; Nihil eſt, inquit, cur paueam; cùm Domina mea S.Maria de Montibus (quam ſingulis ipſe ſabbatis inuiſebat) admonuerit me,vt ea propitia nihil penitùs extimeſcã. Idque,rogatus à ſuis qui aderant, iterum repetere, ſed preſſa nonnihil voce, non recuſauit.

86 Prænuntiato ſuæ mortis die, purgando leniendoque pectori,phlegmate ac pituita laboranti, remedium præſentiſſimum adhibebat. Sed à nonnemine audiens,illud ab Angliæ Rege Carolo inuentum eſſe; manu ſtatim ab ſe reiecit. Iuſſitque P. Ioanni Carolo à S. Barbara, qui pretioſo ipſum in vaſe ex creta figlina nobili præparauerat,vt deijceret ex feneſtra. Quod tanto cum ardore animi iterũ atq; iterũ imperauit;vt P.Io: Carolus morem gerens, vnà illud cum vaſe extemplo

proiecerit. Subiunxitque Ioſephus: Nolo, nolo, ab Rege Hæretico remedium adinuentum. Nec vllius vnquam precibus ac ſuaſionibus acquieuit, vt id pectori ſaluberrimum ampliùs accipere vellet. Mirũ tamen fuit, quòd remedio illo recuſato, ac proiecto, non ampliùſ phlegmate, vt antea, laborauit. Interim, audita ægritudinis fama, quamplures accurrerunt viri nobiles, Eccleſiaſtici ac ſeculares, qui Ioſephi orationem poſcebant. Inter quos vnus adfuit, qui depingendum ad illum venerat. Hic in genua prouolutus, vt ſibi bene precaretur optabat: nec tamen poterat impetrare, etiamſi circumſtantes id Patres ſtudioſiſſimè efflagitarent. Nam Dei ſeruus oculos claudere, vel ab eo vultum auertere videbatur. Quod apud ſe ille perpendens; à delicti conſcientia ſtimulatus, in angulum ſe collegit: & dolens ac pœnitẽs, actam contritionis exprompſit. Statimque illi bene precatus eſt Ioſephus hilari vultu. Tunc lætatus effusè pictor, & è cubiculo egreſſus, non ſine omnium admiratione narrauit, ſe ſe Ioſephi abun-

dè

dè virtutem expertum eſſe: quippè quem minimè latere cognouit, & contritionis actum quem ipſe edidit, & quod crimen antea cum meliercula perpetrauerat.

87 Ipſe clauſis interdum oculis diuinis commentationibus ac precibus, vt poterat, vtebatur: ac ſæpenumero ſertum ſuum precarium depoſcebat, vt B. Virginis Roſarium perſoluere poſſet: cupiebatque ad cubilis caput, vel parieti appēſum, coronarium ſertum illud ſemper extare, veluti ſuæ Dominæ teſſeram. Sed vt vndique illi patientiæ ſeges & occaſio eſſet, adminiſtrum & valetudinarium illi dederant Siculum quendam ſeptuagenarium ſenem, ſubſurdum, audiendi ſēſu penè carentem, qui ſemper aliud offerebat quàm popoſcerat æger: nec tamen Ioſephus tædio, vel moleſtia affectus, cōmutari ſibi ſocium poſtulauit. Et quanquam interdum vellet neminem in cubiculo habere, id tamen haud facilè illi cōcedi poterat: cùm omnis conditionis homines ad illum ingredi flagitarent.

88 Ingraueſcente morbo, ſanctiſſi-

mum Chriſti Corporis Viaticum petijt: quod ea cum animi pietate & deuotione ſuſcepit, vt vberes lacrymas ab omnium oculis elicuerit. Et vni quidem, qui prope aderat, imperauit; vt ſuo nomine omnes ad Chriſti Domini ſectãdam humilitatem adhortaretur, ita ſubiungens: Si verè humiles erimus, exaltabimur. Sed ille effuſus in lacrymas; Pater, inquit, in Cælum abis, vti ſperamus; nec noſtras calamitates ignoras. Quibus auditis, vehementiſſimum ſuſpirium duxit, ita reſpondens: Si ego, proptèr Dei miſericordiã, & B. Virginis interceſſionem, vt ſpero, in Paradiſi beatitatem admittar, veſtrum nõ obliuiſcar. Inculcate omnibus, vt in Dei Matris honorem ſanctiſſimum quotidiè Roſarium deuotè perſoluant: nec quicquam aduerſum extimeſcatis: nam breui, vt videbitis, omnia componentur.

89 Rogauit D. Coſmas Vannucius, Pontificiæ ſtipis erogans, Præſul ſanè integerrimus, & cui Ioſephus percarus erat; vt quoniam multa eius quotidie animum moleſtia afficiebant, ſi ita Deo videretur,

& ani-

& animæ proficuum foret, ſibi vitæ ſtamen Numen præcideret. Annuit Dei ſeruus, & ſuam apud Deum orationem & interceſſionem ſpopondit. Valuitq; adeò eius oratio, vt intra octiduũ, poſt Ioſephi obitum, Vannucius ereptus malis omnibus è vita migrauerit.

90 Deinde vir Dei petijt à P. Rectore, vt mitteret qui à Summo Pontifice ſibi decedenti ſalutarem expiationẽ & indulgentiam ritu catholico precaretur: & qui Vaticana etiam in Baſilica, ad S. Petri ſtatuam, eius nomine, Fidei Profeſſionẽ obiret: quod ſine cunctatione præſtitum fuit. Deindè ſacro Oleo inungi petijt: quod ægro Medici animo permiſerunt, rati periculum mortis nullum ineſſe. Diſcedenti verò Petro Prignano, ac pollicenti mane ſe reuerſurum; Ioſephus impensè gratias egit: & illi bene precatus; Fac, inquit, vt cras mei corporis adſis inciſioni. Abnuit Medicus pollicitus fore, vt ex ea ægritudine conualeſceret, viueretque diutiùs.

91 Interim Hortenſia Biſcia triginta ipſos dies grauiter ægrotauerat. Cui Io-

ſit; Medicis, inquit, obtemperemus, Deindè poſt aliquot preces habitas, & Chriſti Domini Paſſionem perlectam, rogauit æger, vt qui aderant, Diui Bartholomæi Apoſtoli Officium recitarent, poſtridie perſoluendum: idenque ipſe dicere conabatur, vt poterat. Narratque P. Coſmas à Ieſu Maria, qui eius acta perſcripſit, ſe ſe in eo mortis agone per viſum obieciſſe Ioſepho, lectulo circunfuſos, qui ea in Congregatione deceſſerant: quorũ alios ſtantes, alios ſedentes inſpexit: nec deeſſe niſi vnum animaduertit; qui fortaſsè tantoperè ipſum exagitauerat. Iamque intellexit, præter vnum illum, vitam omnes æternam adeptos eſſe.

93 Quarta hora noctis elapſa, pulli ſuccum, vt reficeretur oblatum ſumere recuſauit. Sed rogatus, vt in honorẽ Vulnerum Ieſu Chriſti ſorbiret quinquies aliquid cochleario, paruit. Poſtmodùm Patres quinta noctis hora ſomnum cepere; legebatque iterum vnus Chriſti Domini Paſſionem. Cui nonnemo in aurem inſuſurrauit, vt ſubſideret, ne tædium illi

pabili carne, totum mundum, ac nulla in parte aliqua labecula fœdum, miroque etiã cãdore reſperſũ. Quã munditiem, vel etiam in interula & lecti linteis obſeruarunt. Cùm verò de more corpus elueretur, ſua ipſum pudenda contegere viſum fuit, nunc læua, nunc dextra manu; quod omnibus ſtuporem incuſſit; eiuſque animi candorem, & virginalem innocentiam indicabat. Sed & ſuperiorum iuſſu, exẽterandi cauſa, mane diſſectum eſt: ac ſcripto tradidit P. Coſmas, quòd lintea nonnullis roſas olebant, ipſum verò corpus Ioſephi lilia.

96 Filij tamen tanto Parente orbati, ac calamitate illa depreſſi, non ſe mœrori dedere, vt ante putauerant. Quin immò ſtetere animis: ac inſolita omnes quędam ſuauitas ſpiritus & lætitia inceſſit, quam nullo vnquam modo ſperauerant. Additque ille in ſuo cõmentario, eadẽ nocte, prodigiũ accidiſſe; quod nos omittimus, quoad clariùs certiuſq; cõperiatur.

97 Cùm verò cadauer, ob celebrandas exequias, ad ſacram ædem delatum

eſt,

eſt, nedum quamplurimi viri nobiles, Præſules, ac fœminæ Principes, & Regũ apud Sanctiſſimum Pontificem Oratores, ſed & tanta cuiuſuis ordinis hominum multitudo confluxit, vt argines & ſcamna perfregerint, quibus illud muniebatur. Nec poterant obſtare cuſtodes, quin multi veſtes ſcinderent, auellerent pilos, aut aliquid ex vngue & carne ſecarent. Cùm verò P. Petrus Carauita è Societate Ieſu, vir virtutum fama conſpicuus, pedem in Eccleſiam, ob populi frequentiam, inferre non poſſet; lapideum ſedile conſcendit, quod ad ædium Maximorum extabat. Et diuino inde, vt eſt credere, ſpiritu ductus, eò confluentibus ac perſtantibus turmatim hominibus, Ioſephi acta deprædicauit, quæ mirificè populum inflammarunt. Sed iam vox primò omnium pueruli exclamantis eruperat, *Hem ſanctum, hem ſanctum*; quæ adeò concurrentium pietatem adauxit, vt Ioſephi laudibus omnia perſonarent.

98 Adfuere ægri quamplurimi, cæci, & claudi, & inter eos humi repens, om-

ni-

nibus membris captus, qui ſanitatem, viſum, greſſum, & totius planè corporis vigorem, ac firmitatem recuperarunt. Inter alios verò mulier quædam fuit Catharina Anaſtaſij Ioannini quondam vxor, Anconitana: quæ cùm viſendi corporis ſtudio accenſa, huc illuc à multitudine raperetur; vt ſibi caſtulam vidit, qua erat præcincta, & emptum paulò ante ſmegma ferebat, omninò diſciſſam eſſe; ſciſſuras ſibi collegit; fidenterque ad feretrum abijt: vbi intuita caſtulam, iam ſibi miro modo redintegratam animaduertit. Quæ diu ad curandos ægros huc illucque delata, hodiè à Patribus adſeruatur.

99 Sed & quicquid illi vſui fuerat, ſtatim raptum atque diſperſum fuit, & ad longè diſſitas Regiones aliquid etiam aſportatum. Pluries illi in feretro cruciatũ pileum abſtulerunt. Lælius Vrſinus alterũ cum altero commutauit. Veſtem illi vndique diſciſſam ac ſectam reficere ac reſarcire quater oportuit. Alij rapuere ſandalia: & coronarium eius ſertum Sabaudiæ Oratoris Coniux accepit. Quamplurimi

ab ea audiuit hæc verba: Ignoſcatur tibi; ſed tamen obeas totius ante actæ vitæ confeſſionem. Eique bene precata, ſanitatem reſtituit.

101 Demum corpus plumbeæ incluſum arcę, aliaque etiam caſtanica tectũ, & à viris grauibus quorum intererat obſignatum, in S. Pantaleonis templo, ad dextrũ latus arę maximæ propè lapideos gradus humatum fuit. Collegit eius mira & Epiſtolas P. Ioannes Carolus à S. Barbara, qui illi percarus, multùm pro Dei viri cauſa, & reſtaurando Ordine deſudauit. Summatim acta deſcripſit P. Petrus ab Annuntiatione. Sed in lucem virtutes aliquot ediderunt P. Hippolythus Marracius ex Clericis Regularibus Matris Dei *in Fundatoribus Marianis*: P. Hiacynthus à S. Vincentio, Carmelita Diſcalceatus *in Orat. Funebr.* P. Teglios ex Ordine Redẽptionis Captiuorum, poſt Epiſcopus Aquilanus, *in Laudatione Calari habita anno* 1648. P. Camillus à S. *H*ieronymo, Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis *in libro Florum excuſo Romæ* 1667. P. Frãciſcus

ciſcus à Ieſu *in Elogÿs de eius vita Romæ impreſſis* 1664. Abbas Iuſtinianus *in 3. to. Epiſtolarum edito Romæ.* P. Ephiſius à S. Ioſeph *in vita*, quam Caſtellano idiomate editam Carolo II. Regi *H*iſpaniarum inſcripſit. Et P: Coſmas à Ieſu Maria, qui omnia eius acta collegit, ſed non dũ tamen in lucem edidit.

102 Hiç olim in tyrocinio, vnà cum alijs proficiſci Romam optabat, Ioſephum vt de facie noſceret, cuius virtutum famam à plurimis audiebat. Sed Panormi detentus, poſt ſolennem profeſſionem emiſſam, ſuam illi per literas voluntatem aperuit. Cui Dei ſeruus ita reſcripſit: Tẽpus erit, quo veluti alter Abraham deſtinatus in gentem magnam, è Patria egredieris. Et ecce tibi progreſſu temporis, Romam profectus ad Ordinis Comitia, renuntiatus fuit Præpoſitus Generalis. Et non tam Principũ & aliquot S. R. E. Cardinalium fauore protectus, quàm à Patrona ipſa Virgine Deipara adiutus; adnitẽte P. Ioanne Carolo à S. Barbara, Procuratore, qui rem ſedulò ac ſtrenuè perurgebat;

bat; à Beatiſſimo Papa Clemente IX. ſui Ordinis redintegrationem, & Priuilegiorum omnium confirmationem obtinuit, Anno Domini 1669. tertia & vigeſima die Menſis Octobris.

103 Cùm verò duo quidam Ioſepho aduerſantium ſectatores, qui adhuc ſupererant, & auctoritate valebant, vt eius memoriam inumbrarent, & euerterent diſciplinam, etiam in Comitijs inſtitiſſent, auferri B. Virginis radios à ſodalitatis inſignibus (iamq; illos ab aræ amiculis diligenter abſtulerant) propria cuiuſque familiæ cognomina non dimitti, induci calceos, aliaque multa peruerti, contra quàm Ioſephus in ſuo Ordine, inſpirante Deipara, conſtituerat; P. Ioannes Carolus, vt P. Coſmæ Generali Præpoſito morem gereret; ſtrenueque cuncta vno ictu perfringeret iniquiſſimi hoſtis humani generis arma; ſecretò apud Beatiſſimum Pontificem egit, vt in Apoſtolicum Diploma, quod dixi, Alexandri Papæ Septimi decretum illud inſertum eſſet, denuò comprobatum, quo nimirùm

ſta-

ſtatuerat; *Vt Præpoſitus Generalis memoratæ Congretionis, & quatuor Aſſiſtentes &c. durare deberent ad ſexēnium tantùm: ipſique Aſſiſtentes votum haberent deciſiuū cum eodem Præpoſito Generali in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcunque Superiorum &c. In reliquis verò ijdem Aſſiſtentes votum haberent conſultiuum, & Præpoſitus Generalis, quo ad eius fieri poſſet, eorum conſilium ſequeretur, ad præſcriptum conſtitutionum ipſius Congregationis; & vnà omnes cum Præpoſito Generali reſiderent in domo S. Pantaleonis de Vrbe. Prætereà inuiolatè ſeruari præcepit laudabile dictæ Congregationis inſtitutum, præcipuè in vſu aſſociandi pauperes pueros ad eorum domos: deferendi habitū qualitatis & formæ à prædictis conſtitutionibus præſcriptæ: incedendi pedibus diſcalceatis: recipiendi ad ſcholas pueros aptos ad prima elementa: adhibendi lectulos ad formam dictarum conſtitutionum: denominandi perſonas eiuſdem Congregationis non ex cognomine gentilitio; ſed ex nomine alicuius Sancti: ac demum ſeruandi etiam in*

iti-

itinere paupertatem, quam operarij huius inſtituti profitentur. In cæteris verò ſeruari iuſſit antiquas Conſtitutiones Congregationis huiuſmodi, cum omnibus gratijs, indultis, & Priuilegijs, à Sede Apoſtolica eidem conceſſis &c. Quę omnia tam P. Coſmæ Generali, quàm Ioſephi ſtudioſis ſodalibus & alumnis, eam lætitiam attulerũt; vt hymnum *Te Deum laudamus*, non ſine lacrymis, & ingenti animi gaudio decantarint; impensè Deo atque Deiparæ gratias exhibentes. Statimque in Republica Chriſtiana Scholarum Piarum Domus atque Collegia, quæ totius Ordinis calamitate oppreſſa penè iacuerant, ingẽti hoc gaudio cumulata, cum gratulatione cunctorum Ordinum, caput fœliciter extulerunt.

104 Ipſe verò Pater Generalis cùm ſe Magiſtratu, poſt ſexennium, abdicaſſet; Meſſanam profectus eſt: & domum illam miſerè exagitatam ac dilapidatam inuenit. Quippè quòd ibi Rectorem egerat quidam à Viſitatore, ac Generali illo Vicario deſtinatus, diſſoluendæ aptior ſodalitati, quàm inſtaurandæ; quem tamen

Ioſephus ſuis ſubindè literis admonuerat, vt ad ſaniorem mentem reduceretur, ne meritas pœnas lueret; quæ illum ſtatim corripuere, poſtquam Ordinem redintegratum & confirmatum audiuit: & æquo id animo fortaſſe ferre non valens, Religioſum Habitum exuit. Cùm verò domi ſubſtentandæ alendæque familiæ nihil eſſet; adfuit qui nuſquam antea viſus fuerat: & euocato P. Coſmæ, per ianitorē, qui illam adminiſtrabat, pecuniam erogauit: factoque ſpopondit animo, opem diuinam nullo illic tempore defuturam; deindeque diſparuit. Quem fuiſſe Angelum, vel potiùs Ioſephum, vt piè conijcimus eò delapſum, verax exitus, & ſimillima oris ſpecies indicauit.

105 Sed ò Venerabilis Serue Dei, cui à puero ex animo deſeruiſti: quem ardēter amaſti ſemper: cuius ſtudioſiſſimè Gloriam procuraſti; ex toto corde gaudeo & gratulor tibi, quòd tanto cum animi tui feruore, in Dei & Deiparæ ſemper obſequium incubueris: quòd ſummam perfectionem adeptus, vitam tuam in animarū procuratione peractam, & cunctis ſanè

vir-

virtutibus exornatam, grauibus conuicijs, contumelijs, ac calumnijs, mirabili ſemper animi æquitate perlatis, vſque adfœliciſſimum exitum, cum laude & admiratione omnium illuſtraueris. Sodales tui te Ductorem egregium, ac ſapi ntiſſimũ quidem inſtitutorem ſequantur. Tua paſſim Oratores & Scriptores acta vbique locorum prædicent ac peruulgent: & qui Diuinam nonniſi Gloriam exoptant & quærunt, ac tutum ſanctitatis iter arripere, per tua in poſterum veſtigia fœliciſſimè gradiantur. Nec dubito breui futurum eſſe, vt cùm ritè acta tua ſancta Sedes Apoſtolica recognouerit, Chriſtiana in Republica meritiſſimè celebreris; & effigiem tuam in aris & templis inſpiciamus, populorum accurrentium vota & preces exaudientem! O ſi imitari poſſem virtutes tuas! O ſi poſſem tuam inſignem humilitatem, amorem in Deum, & animi conſtantiam adipiſci! Sed ſenio, nec vna ægritudine iam confecto, impetra mihi ſaltem, vt mortem obeam, qualem opto, Chriſtiano Religioſoque homine dignã; & ſanctiſſimam Dei Matrem, tui Ordi-

nis Patronam exora, vt ſuo me patrocinio foueat, & in agone mihi mortis aſſiſtat;& vnà cum Filio ſuo, dulciſſimo Ieſu, ſuſcipere ipſa dignetur Animam meam. Interim verò Oraculum planè illud vbique locorum ac gentium impleatur; quo celeberrimus quidam Anachorita, Beati Ioachimi Abbatis coæuus, in M. S. Opere de exercitibus militantis Eccleſiæ, te & tuos, vti ego arbitror, diſertè prædixit; & antequam in lucem exorereris, egregiè prænunciauit, his verbis: *Congregabuntur ſerui Dei dicentes, Meſſis Domini multa, Operarij autem pauci: Venite, mittamus falcem & nos in Meſſem eius. Imitabuntur in charitate ſanctos, & in puritate Electos* Dei. *Frequens lingua eorum ad populos: & reducere conabuntur eos in ſemitas iuſtitiæ.* Docebunt *Pueros præcepta legis, & iuuenes vias Domini. Cor eorum ſemper ad* Deum, *& lingua eorum in auxilium gregis eius. Congregabũtur in multis Regnis, vbi inuocatur nomen* Domini: *& accepti erunt populis in operibus ſuis.*

AD-

ADDITIO.

Dum hæc opellula typis excuderetur; aliquot folia, ob incuriam impreſſoris interciderunt; quæ nunc caſu reperta, huc annectimus in alia editione inſerenda pag. 47. poſt lin. 19.

46 Eximius iuſtitiæ cultor fuit: nec pati poterat, alicui quicquam adimi, quod tribui ac conferri illi par eſſet. Nil temerè de alijs iudicabat, aut mali ſuſpicabatur: & ſi quid cerneret, aut audiret, in bonam plerunque partem accipiebat. Mendacij oſor acerrimus ita veritatem excoluit, vt ab omni ſimulatione, & ſermonis ambiguitate longè diſtaret. Ocioſum illi verbum non excidebat: ſed omnis eius ſermo candidus erat, ſpiritualis, ac fructuoſus. In remiſſione animi aderat, curabatque, vt colloquia de inſtituti obſeruantia, vel de lectione quam in menſa audiuerant, vel ſacra de re quapiam, haberentur. Tum ſi quis in facetias erupiſſet; non nihil ipſe ore ſuccēſus; Agite, aiebat, dimittite nugas iſtas, & de

religioſa ſolùm perfectione adipiſcenda differite. Quòd ſi ſummiſſa quiſpiam voce de mundi rebus cum alio loqueretur; ſopore ipſe correptus, ſuo ſilentio, ſermones illorum futiles, arguebat. Similiter cùm duo ſimul domi de Hiſpaniarum, & Galliarum Regum amplitudine præſtantiaque contenderent; & eos Ioſephus ſuperueniens audiuiſſet; vultu ſubiratus; Sinite, inquit, hos ſermones: Religioſi hominis officium eſt, non ineptè differere de potentia & præcellentia Regùm; ſed aſſiduè orare Diuinum Nomen, vt Principum inter ſe diſſidentium, & pugnantium animi ad concordiam reuocentur.

47 Nunquam contracto ſed ſereno ſemper ore, ſummiſſaque voce ac placidè loquebatur, facileque flectebat alios in ſententiam ſuam. Nec erat ex cordatis viris, qui illum libentiſſimè non audiret, doctè quidem in exedra differenté. Quin non ſolùm rudes atque plebeij, ſed & viri quandoque Principes, Præſules, & Antiſtites ſacri, & doctrinis erudit iſſimi, ac qui loquendi arte præſtarent, eius ſæpe conſilia admirabantur: multiſque etiam

Car-

Cardinalibus in oculis fuit. Columnius, qui illum Prorex in Aragonia nouerat, magno in honore habuit, vti diximus. Cardinalis Iuſtinianus adeò illum venerabatur, vt ſolitus eſſet dicere: Niſi dignitas me retraheret; cùm P. Ioſephus venit in ædes meas, ad illum ritè excipiendum, vt virum ſanctum, egrederer ad peryſtilij ianuam in publicam viam. Cardinalis Spinula, Archiepiſcopus Compoſtellanus, ex Vrbe diſcedere noluit, quin eius ſimulacrum ſecum afferret, quod nõ ſine multorum ope & induſtria effingendum ſibi curauit. Quippè cùm ſemel ſuã effigiem aduertiſſet à pictore quodam delineari, vehementer admiratus, & ſubiratus aiebat: Quis tam ſtultus aut inſipiẽs homo ſit, vt meum exemplar habere optet? Num is ego ſum, vt à pictoribus exprimi merear imagines meas? Sæpe illũ Cardinalis Albernotius accerſebat: & quòd raro Ioſephus ad eum pergeret, maximoperè querebatur. Cardinalibus Lãtio, & Turriano à Confeſſionibus fuit. Albanus Cardinalis tanti illum fecit, vt Albanus Comes Bergomenſis, eius ſobri-

nus, autographas aliquot eius literas Venetijs in ſui præſidium exquiſierit. Oratores Regis Catholici, Chriſtianiſſimi Regis, ac Reipublicæ Venetæ, ſanctum Virum appellitabant. Nec Romæ ſolùm, ſed in Hiſpaniјs, in Germania, & in Polonia, ſummo in honore abſens habitus fuit.

48 Cum inſigni dono conſilij, permagno dono etiam Orationis excelluit: è qua nonnunquam abalienatus, & ore ſuccenſus egredi videbatur. Nec aliquod vnquam graue opus peregit, quin primò diuque Diuinum Numen nixus genibus exorauerit. Tres noctu, vel quatuor ad ſummum horas captandę quieti in ſuo cubili iacebat. Excuſſoque mox igne, ac lumine accenſo, Diuinum, & B. Mariæ Virginis, ac Defunctorum Officia aliaſq; pias preces recitare ſolitus erat;& deindè perlegendis pijs, & aſceticis libris, præſertim Diui Gregorij Moralibus incumbebat. Quod verè ad Diuini Officij penſum attinet, ſuos perſępe monebat, vt ſtatis illud horis perſoluerent;aut ſi ſcholæ habendæ eſſent, tempus anticiparent.

An-

Anticipationē enim aiebat eſſe propriam diligentium, recitationem obitam ſtatis horis obedientium; & ſeram Officij dilationem, propriam negligentium appellabat.

49 Miſſam quotidie veſperi prælegebat; quam noctu meditabatur. Accidit enim, vt, cùm quidam in eius cubiculo ſomnum caperet; quandoque Ioſephus ab eo petierit, vt ſibi vel introitum, vel Epiſtolam, vel Euangelium dicendæ manè Miſſæ in memoriam reuocaret. Quam, cùm deindè ab excubitore cellulæ pulſarentur, iterum volebat vt alta ille voce relegeret. Eandenque ipſe tertiò percurrebat, ſacris operaturus. Quid ergo mirum, in ara, ſi tanta cum pietate animi Diuina obire Myſteria videretur, vt ſpectātibus ſecularibus quādoque ſtuporem, ac terrorem incuteret? Aliquando etiam continuò orando, inſomnis, noctem extraxit: ſe ſeque aſſiduò flagris in cubiculo verberabat. Lateribus verò calcaria ferrei cilicij rarò deerant. Monebatque perſæpe ſuos, vt ſibi Paradiſum in cellula conſtituerent; veluti Chriſtum Dominū à de-

à dextris, B.Virginem à ſiniſtris, & vndique verſum Apoſtolos, ac alios Cælites, & Patronos haberent. Optabat etiam, vt omnes ſecretò ſe ſe deſpicerent: & vt erga ſanctiſſimum Sacramentum ſumma pietate flagrarent; à quo magnum lumen aiebat, ob ſpiritualis vitæ inſtitutionem hauriri poſſe. Nec deuotionem B.Virginis inculcare prætermittebat: cui plures in templo aras erexit, vt multis titulis ſuos, & pios fideles ad eam colendam, & honorandam incenderet.

50 Semel in die veſcebatur: nec ideò portionem vllam maiorem, vel ſibi quidpiam indulgebat, quanuis nonagenarius ſenex, quod cæteri non haberent. Præſcripſit, vt omnes feria ſecunda, & quarta carnibus abſtinerent: ſed quarta ipſe ac ſexta, pane ac frigida ieiunabat. Alijs verò mira charitate proſpicere videbatur. Et cùm ſemel nihil domi eſſet, quod in cœna cunctis apponeretur, viſus fuit ore nonnihil cogitabundo ac propè mœrenti. Sed plenus fiducia in Deum, ſe ſe in ſede compoſuit, manu capiti admota veluti quietem capturus. Et ecce tibi qui-

dam

dam venit ad ianuam, aſellum ducens onuſtum, & ſex nummos aureos illi ferens.

51 Quotidie ſcholas diligenter inſpiciebat:& ſi quos miſerabiliores pueros inueniſſet, ſeorſim euocatos edocebat ipſe, ac etiam cibo reficiebat. Alijſque indigentibus, præſertim ijs, qui nobili ex familia eſſent, & maximè Sacerdotibus, panem, vinum, oleum, ac ſuas quandoq; veſtes ſuppeditabat, procurabatque quam poterat illis opem: viſuſque fuit ſemel illorum vni nummum aureum duplicem elargiri. Nec rarò Præpoſitus Generalis, nixus genibus, in refectorio veſcebatur; vel in menſa veſcentibus, & in culina miniſtris inſeruiebat; abluebat patinas, aſellum ſtrigili defricabat, aut alia munia viliſſima obibat. Nec vnquã petijt quod ſibi in menſa deeſſet: quandoque enim accidit, vt cyathum non inueniens, potu penitùs abſtineret. Cùm verò aliquid alicui defuiſſet, ſtatim monebat ipſe miniſtros, & etiam quandoque redarguebat.

52 Iuſſit vt omnes ante cibum in menſa ſalutationem Angelicam recitarẽt,

vt Catholici de perduellibus Hæreticis victoriam ferrent: & vt quotidiè canentes Antiphonam, *ſub tuum præſidium*, ante Deiparæ imaginem omnes humillimè ſtudioſiſſimeque proſternerentur. Illud autem ſummoperè commendabat, vt in ſingulos dies ſanctiſſimum Sacramentum inuiſerent, & quæ Religionis vota pridē profeſſi erant, denuò nuncuparent. Monebatque aſſiduè Præceptores, vt pueris Dei timorem incuterent: eoſque Dei cultum, & Templi reuerentiam inſigniter edocerent. In quo qui peccaſſet, nec emēdationem oſtenderet, aut vapulabat, aut è ſcholis expellebatur. Cùm verò aliquis è Magiſtris quidpiam impatienter egiſſet, aut verberaſſet cum iracundia pueros; iubebat ipſe, vt in gymnaſio eodem pœnā ſubiret, puerorum pedes exoſculans. Nec à pueris aliquid accipi permittebat. Quocirca, ſcholarum initio, ante Ordinem inſtitutum, quendam Ludimagiſtrum, etiam ſi docendi arte præſtaret, eò quòd accepiſſet à puero atramentarium, ſtatim expulit.

53 Quid de inconcuſſa eius conſtan-

tia

tia & fortitudine dicam? Pro Dei gloria, proximorum ſalute, ſuæque Congregationis progreſſu, arduas res haud ſemel adorſus, nihil hæſitans perduxit ad exitum: & dæmonis technas aduerſantis ſibi perpetuò diſiecit ac ſuperauit. Labores verò, incommoda, inſectationes, ærumnas, ita æquo præſentique animo, & vultu hilari ac propè Angelico, tolerabat, veluti ſenſu omninò careret; crebrò illud vſurpans: *Regnum Cælorum vim patitur, ac violenti rapiunt illud.* Itaque animi eius temperantia admirabilis fuit: cùm neque voluptate vlla diſflueret, aut lætitia in ſecundis rebus extolleretur; neque dolore aut mœrore vllo ipſum affici contingeret in aduerſis. Nunquam excanduit, aut commotus vehementer eſt animo: nunquam delicijs eſt illectus. Solatioque illi erant aſperitates atque labores, quos hilari vultu quotidie perferebat. Nec ſibi cibum permiſit, niſi quem vel ipſi hoſti ſuo quiſpiam non negaſſet; quò nimirùm vitã aleret, non ad delicias vteretur.

54 Sui contemptor eximius, aliorum virtutes quammaximè admirabatur.

Et

Et vt ſummo ſtudio & arte, Dei in ſe dona diſſimulauit, atque contexit; ita quicquid in alijs emicaret, effuſiſſimè commendabat. Abhorruit ſemper à gradibus & honoribus: & bis ad infulas à Philippo IV. Rege Catholico poſtulatus, & ob Pontificum gratiam purpureo galero aliquando proximus, dignitates omnes auerſabatur. Nec ipſam ſuæ Congregationis Præfecturam ſuſcepit, niſi obediẽtia adactus. In qua tamen, cum omnibus vel infimi ordinis hominibus, demiſſo animo ſemper egit: curauitque quã diligenter, vt ſuæ Congregationis ſodales, veluti diuite patrimonio fulti, inſigni humilitate præcellerent. Fuitque ſemper omnium oculis veræ virtutis, Religioſęque continentiæ exemplar; cùm perpetuò ſe ieiunijs, vigilijs, orationibus, flagris, & cilicijs afflictauerit: tantoque ſui odio tenebatur, vt nouas quotidie aſperitatum formas, & domandi corporis modos adinueniret: nec vnquam ob ſenium rigorem, & humilitatem omiſit.

Au-

Auctoris Admonitio.

LEctor aduerte in hac Ioſephi vita, nõnulla me attingere, quæ ſanctitatem ipſi videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab eo geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſsũt, præſegia futurorum, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eius interceſſione collata diuinitùs: demum nonnullis ſanctimoniæ videor appellationem tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi, tanquam ab Apoſtolica Sede examinata atque approbata: ſed tanquam quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant: atque adeò non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum Anno 1625., editum, & Anno 1634. Confirmatum, integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationẽ eiuſdem Decreti à Sanctiſs. D. N. Vrbano PP. VIII. Anno 1631. factam ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum

aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam & opinionem ſanctitatis inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem; ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtineret, nō obſtante quocūque lōgiſſimi tēporis curſu. Hoc tam ſāctè profiteor, quàm decet eū, qui Sedis Apoſtolicę obediētiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione & dirigi.

Ego D. Franc. Maria Magius C. R.

ERRATA CORRIGE.

Fol. 15. lin. 24. horis *cor.* Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, horis

Fol. 29. l. 15. illi ſuaſerit illi *cor.* illi ſuaſerit,

Fol. 31. l. 22. conſolutatæ *cor.* conſalutatæ

Fol. 32. l. 20. al iſ ex *cor.* alijs ex

Fol. 36. l. 19. Tappia *cor.* Tapia

l. 24. Tappiæ *cor.* Tapiæ

Fol. 37. l. 16. vei ſc poſſet *cor.* veſci poſſet

Fol 43 l. 23. fiere *cor.* fieret

Fol. 44. l. 1. vulgaium *cor.* vulgatum

Fol. 47. l. 1. Ioſepus *cor.* Ioſephus

Fol. 70. l. 3. Chriſtophero *cor.* Chriſtophoro

Fol. 71. l. 12. & 19. Chriſtopherum *cor.* Chriſtophorum

Aol 12,7110d

BIBLI
Vitt